





1
6
538









MELETII PHILOSOPHI DE NATVRA STRVCTVRA'QVE HOMINIS OPVS,

POLEMONIS ATHENIENSIS *insignis Philosophi naturæ signorum interpretationis:*

HIPPOCRATIS DE HOMINIS STRVCTVRA.

DIOCLIS AD ANTIGONVM REGEM *De tuenda ualetudine Epistola.*

MELAMPI DE NEVIS CORPORIS TRACTATVS.

Omnia hæc non prius edita.


NICOLAO PETREIO CORCYRAEO INTERPRETE.

Cum Gratia & Priuilegio.



VENETIIS M D LII.

NICOLAVS PETREIVS Corcyræus Illustri, atque Amplissimo Præsuli Hieronymo Saulio Archiepiscopo Genuensi, ac Bononiæ Legato. S. P. D.



PHILIPPVM Illum Macedonum Regem, Alexandri Patrem, qui pro rebus à se præclare gestis magni nomen sortiri meruit; Sauli Præsulum celeberrime: cum temporis sibi occasionem expectandam putaret, quo, in se promeritum, digna conferre beneficia posset: Quod illum prius mortem oppetere contigisset, quam à se digna pro meritis premia acciperet, illachrymasse ferunt: dum, id Magnanimo Regi planè constaret, se, nullum grauius crimen, nullum detestabilius, quam ingratitudinis subire potuisse. Quod, cum ubique, atque apud omnes mortales, intollerabile uideri debeat, iusta quidem ratione, apud Athenienses, in omnium uirtutum, ac doctrinarum genere præstantissimos publicam huiusce rei actionem, constitutam fuisse crediderim. Nam qui de se benemerito, talem referre gratiam, qualencunque per se potest, negligit, ipse inops sensuum, ac planè ingratissimus merito censendus est. Hæc, mibi sæpius mecum agitanti,

cum in memoriam adducerem, quãta sint, quæ in me, dum Romæ essem, pro tua singulari humanitate beneficia contuleris, quantumq; tibi, me ob tuam in me beneuolentiã, perpetuis temporibus deuinctum, auctoratumq; reddideris, nullo non tempore mihi cogitandum putaui, quo pacto tibi aliquid gratiæ reponam, ne me, quod perpetuo turpissimum ducerem, ingrati reũ perageres. Et quidem, cum impresẽntia, Meletium Philosophum: de structura, naturaq; hominis, insigne alioqui huiusce tractationis opus, pluribus ab hinc annis à me latinitate donatum, in publicum edere statuissem, per multisq; meorum amicorũ, & suæ, et omnium studiosorum utilitati consulentibus, qui enixe id à me impetrare contenderant, denegare hoc amplius nulla ratione possem: duplici de causa tuæ amplitudini hoc Opus præ cæteris dedicandum censui. Altera quidem: quod te neminem animi nobilitate: aut probitate uitæ: aut consilio: aut optimarũ artium utriusq; linguæ studiis: aut omni genere laudis, præstantiorem esse sciam: quorum gratia, cur efferre laudibus, studiis prosequi, beniuolentia complecti non debeam? Altera uero, cum me tibi tantopere debere existimarẽ, ut nulla ratione me soluendo esse crederem: hoc saltem aliqua ex parte, tam beniuoli tui erga me animi, uicem repræsentarem. Nam, tametsi optime sciam, quantam curam, studium, ac uigilias, in administranda illius celeberrimæ Vrbis prouincia, exponas, cui, te, Sapiens Pontifex, ac Consideratus, nec

ambientem, nec petentem præfecit: quam, te obire summa prudentia: uirtute: consilio omnes passim prædicant: neq; ex hoc, temporis tibi quippiã reliquum esse, quod præstantium autorum lectionibus (ut consueueras) impenderes: tamen, cum Meletium meum euoluere, cum introspicere constitues, te, meliores ocii tui horas, in perlegendo ipso expositurũ non uereor. Is enim Magnanime Sauli, absolutissimũ opus, structuræ, ac Naturæ Hominis perscripturus, oẽs antiquorum libros (ut ipse ad sui operis initia testatur) sibi euoluendos proposuit, ut, quod sparsim in eorũ libris de homine cõprehensa, nec absolute explicata fuerãt, in unius opis seriem redigerentur. Ab Elementis itaq; mundi exorsus, ad corporis elementa ꝓgrediens, quo pacto hoc animal gignitur: alimentũq; sumit: ac quot uitales, naturalesq;, ac animales facultates, suas in ipso actiones ostendunt, ꝑspicue declarat. Tum, priusq corporis partes singillatim explicare aggrediatur, quomodo mens per sensus agat: quid triplex animæ facultas sit: nec non, quot uirtutes quæ principales appellantur sint; Quæ ue uirtutis, ac uitiorum genera, quæ ex ipsis proneniunt habeantur: simulq;, quo pacto, gaudium, tristitia, risus, lachrymæ, ac somnus constituantur, luce clarius ostendit. Quid enim est Præsul optime, quod animaduertere, ac considerare potius, cum omnibus studiosis, hac re merito debes? Posteaquàm, opifex uerbum, ab intellectualis, ac uisibilis, Materialisq; Mundi creatione,

animal edere (quo, maioris sapientiæ argumentũ, ac circa Naturas largitas, eiusq; bonitatis thesaurus inotescere possit) statuisset, hominem procreauit: quasi alterum quendam Mundum in paruo magnum super terram constituens. Hunc inquam creauit, alium Angelum: adorantem: mistum: uisibilis naturæ arbitrum, intellectualis uero arcanorum peritum: terrestrium Regem: quiq;, á superioribus regitur: terræ, ac cœlo accomodum: temporarium, atq; immortalem: uisibilem, atq; intelligibilem: medium inter excelsa, atq; humilia, qui idem spiritus, & caro est: Idemq;, qui hic potestate præsit, alio uero migraturus sit, atq; in mysterii fine, ad Deum innuens, Diuinum efficiatur. Huius enim animalis naturam, structuramq;, Meletium ipsum, in hoc opere expressisse perspicies: ex hoc planè deprehendere poteris, nihil esse in uniuersa natura Homine præstabilius, illo præsertim, quem, consilio, probitate, humanitate, innocentia, Religione, magnitudine animi, omnibus in rebus quamplurimi præditum esse agnoscunt. Accedit item Meletio ipsi, Polemonis Atheniensis, insignis philosophi: qui ex auditoribus Xenocratis, Gymnasii eius successor extitit, naturæ signorum interpretationis luculentissimus libellus, qui phisiognomicon ab ipso nuncupatur. Hunc item, á nobis latinitate donatum, amplitudini tuæ cum Meletio ipso, dedicare uisum est, quo, tam præclare tractationis fructu, te auspice, omnes studiosi potiantur. Is enim,

ex signis, qui in Hominum corporibus plerunque appa-
rent, ita Naturas, ac plurimorũ mores explicat, ut eo-
rum mentis, cogitationumq; consilia, ac cordis adyta, pe
netrasse uideatur. Est præterea cum his, Hippocra
tis de Hominis structura, ad Perdicam Macedonum
Regem, & si breue, ac grauissimum (ut cætera eius
scripta) & salutare opus: In quo, præter ea, quæ de
Homine agit, totius anni temporũ, tuendæ ualetudinis,
egregia præcepta perscribit. Est item, eiusdem fermè
generis Dioclis, ad Antigonum Regem Epistola,
quam, nos, pluribus ab hinc annis latinam feceramus:
Hanc enim, maiore ex parte, cura nostra lõge exactio
rem esse, quam quæ circunfertur deprehẽdes. Quæ, tibi
gratissima fore existimo, cum, ex eorum lectione, tum
uoluptatem non mediocrem, tum fructum uberem sis per
cepturus. Melampus item ab his est: quem Proeti Ar
giuorum Rgis filias, mentis excessu, ac insania liberas-
se Autores memorant. Qui, cum exigua quædam de
Neuis, qui in Hominum corporibus conspici solent, per
stringat, lepida admodum interpretatiuncula, studioso-
rum aures demulcet. Hunc tibi, tot egregiis Autorũ
nominibus, postremum inunximus: ut ab eorum lectione
ceu bellaria, ac tragemata, quæ tuæ mẽsæ à tuis tibi mini
stris apponi solent, non iniucunda oblectamenta exhibeat.
Accipe igitur Præsul celeberrime, hos qualescunque
fuerint nostrarum lucubrationum fructus, læta, ac hila-

ri ut ſoles fronte, qui ſe tibi, tuorum erga meritorum, perpetuo teſtimonio adeſſe fateantur. Id tecum uſque=quaque conſtituens, nihil eſſe in hominum actionibus, quo magis ad Dei ſimilitudinem accedere, quam beneficen=tia poſſint. Vale.

MELETII PHILOSOPHI DE NATVRA STRVCTVRA'QVE HOMINIS OPVS,

cum breuiter, tum abſolutiſſime compoſitum, & ab inſignibus quibuſque Eccleſiæ ac Gentilium eruditiſſimis Scriptoribus depromptum,

NICOLAO PETREIO CORCYRAEO INTERPRETE.

PROOEMIVM.



OBIS de Natura Hominis *interpretationem diſſerere; ac breue abſolutúmque opus huiuſmodi tractationis ſtudioſis, & qui recte labores ſubeunt in medium abducere, conſilium eſt.* Nam *tametſi quamplurimi* Antiquorum *ſapientiſſ. uel longa, uel breui naturam noſtram oratione complexi ſint, nullus tamen eorum hac de re perfectum, abſolutúmq; opus reliquit.* Siquidem Hippocrates, Cum *de natura puerilis, uirilisq; ætatis pauca admodum, & quæ non facile percipi poſſent ſcripſiſſet, nihil uero de uniuerſali homine, & quæ in ipſo facultates, uel actiones ſunt, neque de eius corporis partibus ipſum memoraſſe compertum habemus.* Galenus *item,* Cum *de partium natura, ac temperamentorum qualitate mentionem faceret, in nulla ſuorum operum tractatione, hanc rem abſolute perſcripſit.* Socrates *autem, in operę quod de* Hominis Natura *inſcripſit, partium hominis, ac nominum proprietates explicando, quod ad* Grammaticum

potius, quàm quod ad Philosophum attinet disseruit. Sanctorum uero patrum, atque Ecclesiæ Magistri quamplurimi, ut Magnus inter Sanctos patres Basilius, Nissenus, Gregorius, Diuus Chrisostomus, Beatúsque Cyrillus, ac plerique alii qui illa tempestate floruerunt, cum in eorum magistra arte æditis sermonibus de rebus diuinis tractantes de naturę etiam interpretatione præcepta traderent, plurimúmque proculdubio de Animalibus, Vitalibus, naturaltbúsque facultatibus, atque actionibus philosophati essent, nemo ex his quos asseruimus uiris, uel sanctis patribus, ita huiusce tractationis rem perscripsit, ut sub uno Argumento solum hoc opus absoluisse uideretur. Nos autem, quæ in eorum libris sparsim posita inueniuntur seligentes, pro uirili hanc tractationem perscripsimus, quo studiosis ratio de totius corporis natura, atque constitutione perpetuo in promptu fieret: nos uero exercitamentum, inscitiæq; nostræ refugium haberemus. Decet enim studiosos ipsos, in quorum mentibus diuini amoris, ac nostri laboris gratia insederit, huiusmodi opus haud curiose, sed utilitatis consequendæ causa diligentius euoluere: neq; uerba ipsa arguendi nostri gratia rimari. Non enim (ut opinor) omnibus hæc quæ nostra lucubratio complectitur passim obuia sunt, sed multa potius multis diligenti indagatione perquirenda; illis præsertim qui philosophię studiorum, ac Medicæ artis expertes sunt.

ARGVMENTVM.



Niuersi igitur operis tractatio, ab origine tota simul conserta, atque coniuncta, & quasi articulata habetur: Quæ corporis partes singillatim explicat, ac naturæ compositionem speculatur. Hæc siquidem orbis elementa, cum his quæ corporis sunt accommodat: & quod nam orbis elementum sit, quod cum corporis elemento adæquetur: Item quæ sim

plicia, primáq; elementa, quæ nam similares, quæve dissimilares par-tes. & quot sensus in homine sint. quot facultates animali operam suam impartiantur. Quid etiam triplex animæ portio. & quæ nam illa sint quæ sub mentis imperio consistunt. Vnde oratio progenera-tur, quæ pronuntiatiua, & quæ interna oratio sit. Præterea, quid ap petitus, et unde fiat. alimenta quo pacto conficiantur, quóue cõcoquan tur, excernantúrq;, & quot concoctiones, necnon excrementorum ge nera habeantur. quo item pacto sanguis gignitur. Vnde totum cor-pus irrigetur. quo etiam modo, quáue de causa somni generatio fiat. tum risus, gaudium, tristitia, & lachrymæ constituantur. Cum au-tem Argumentum hoc pacto completum, ac contextum quodãmodo fuerit, rursus oratio nostra cuilibet quod eius peculiare est adhibendo, cunctas quasi repetitione utens partes diuisim explicabit. Postremo, à capite, ad pedes usque, naturæ actionem, appellationésq; partium, ac definitiones referemus. Neq; uero nos quisquam eadem quæ ret-tulimus repetere existimet. Sed quæ breuiter, angustóq; ordine à no-bis comprehensa sunt latius recensendo, ea audientibus planiora red-dere: iccirco ad cognitionem accommodam præsens index supponitur.

INDEX TOTIVS OPERIS.

De tibia, & ossibus ipsi oppositis quibus sura adhæret, idest fibula.

De toto pede, & ossibus quę in ipso sunt, digitisq; ac calce.

De totius corporis cute.

De pilis, & quid inter ipsos discriminis, quive eorum usus habetur.



AIORVM quamplurimi, sapientiam simul, ac Medicinam profitentes, de hominis structura, quotq; naturis ille consistat, quæue animæ substantia habeatur, & quomodo in corpore comprehendatur, deq; eorum adinuicem copula, nec non quę utriusque actiones, facultatesq;, ac sensus proueniunt, & quonam pacto corpus nostrum formetur, quotue elementis consistat, & quot in partes diuisum sit, sapientia sua, ac dissectionis scientia prudenter definientes accuratissime perscripserunt. Et ea quidem, quæ ipsi de corpore literarum monumentis mandarunt, uniuersis qui recte discendi labores subeunt planè patent, eisque assentiuntur, ac uti ea habentur obseruant. Quæ uero gentiles de anima philosophati sunt, inania demonstrarunt, nihil enim uerum de eius substantia, uel quę eius natura habeatur potuit ab ipsis adduci, Quinimmo eorũ nonnulli corpore ipsam priorem, sed & alii corpus uicissim ipsa prius esse asseuerantes, nugas attulerunt. Quapropter, cum omnes discordes adinuicem sententias adducerent, in huiusmodi disputationibus uanissimi habiti sunt. Quod autem anima uno contextu cum corpore ordiatur, ipsoque nobilior, ac magis pręcipua habeatur, quodq; ab ipsa corpus ceu instrumentum moueatur, nec non ipsa sit quæ ei uitam tribuat, ac Dei prouidentia, naturæq; ordine illud contineat, quodq; ea substantia corpore uacans, ratione prędita, intellectualis, ac immortalis sit, nulli non mentis compotes nouerunt. Qua autem illa substantia sit, & quonam pa-

cto quod corpore caret, in corpore consistat, hoc solius Dei qui hominem creauit nosse est. Quaproter, & nos peculiarem de anima ipsa orationē missam facientes, quæ ab antiquis de Vniuersalis hominis natura perscripta sunt, quæq; libris dissectiones, uerborūmq; proprietatem continentibus sparsim comprehensa, pro uirili deligentes, quo nobis unde disceremus paratum sit, in unius operis seriem redigemus, Vnde, præclarum rerum opificem Deum mirari, atque propheticum illud mirabilis facta est scientia tua ex me dicere ualeamus. Cum autem nobis hoc agere propositum sit, Christi Dei nostri, auxilium imploremus, qui naturæ nostræ opifex, & sapientię dator, ac sapientium emendator est; cum tum nos, tum orationes nostræ eius in manibus consistant, uti nobis hoc iter aggredientibus quod erudire possit, ac intelligentiam largiatur præbeat. Et primum, quidnam homo sit, curue sic appelletur referemus. Nullis enim non in rebus ueteres, tum eorum corporis, tum partium appellationes, definitionésq; explorate, posuerunt. tale enim eorum corpus extitit, quale omnium hominum habetur. Quoniam homo non aliquo naturæ discrimine ab homine discrepat, sed omnes ipsa constitutionis ratione simili modo ad inuicem esse suapte natura idonei sunt, itaq; sub unam specię, definitionémq; rediguntur. Homo est animal rationale, mortale, mentis, & scientię capax. Animal quidē, quoniam homo ipse substantia anima prædita, sensualis est. Talis enim animalis definitio habetur. rationale uero, quo ab rationis expertibus distinctum sit. Mortale, uti ab immortalibus Angelis qui ratione sunt præditi distent. mentis uero, & scientię capax, quoniam ex disciplina nobis artes proueniunt, qui uim quidem eas percipiendi natura obtinemus, actiones uero ab his quę didicerimus possidemus. Nomen uero homo ab illis ἄνθρωπος dicitur διὰ τὴν ἄναρθρον ἔχειν φωνὴν, Quod articulata uoce utatur, cū alia queq; animalia, inarticulatā, ac nihil significantem uocē emittāt. Non nulli uero, ab ἀθρεῖν, καὶ λογίζεσθαι ἅπερ ὄπωπε, quod facit, con-

ſyderare mente ipſa, & animaduertere ea quæ inſpexerit, cũ alia animalia, nihil animaduertant, atq; conſyderent. Quidam autem ab ἄνω θρεῖν, quod oculos ad ſublimia eleuare explices: aut à uerbo δρῶ, quod ſpecto ſignificat, unde ab ipſis adropos, & ἄνδρωπος, homo nuncupatur. uel ab ἄνω ῥέπειν, quod uultus ad ſydera erectos tollat. Siquidem, alia quadrupeda, ut magnus Baſilius aſſeuerat ad terrã ſpectant, uteróq; acclinantur, hominis uero ſurſum ad cœleſtia aſpectus, ne ſcilicet uentri, eiúſq; affectionibus uacet. Ipſum ſiquidem hominẽ cum anima expertibus cõmunicare, ac rationalium intelligentia non inexpertẽ eſſe perſpectum habetur. Cum enim ſemen primum diſſeminatur, atq; emittitur, protinus illud quod in vuluam incidit anima experibus compar redditur, utpotè quod ex quatuor elementorum temperamento conſiſtat, excepto quòd à uita prębditis ſecretum eſt, & actus uiuentis oſtendat, cũ naturales in ipſo facultates inſpiciantur. Siquidem, cũ in vtero breui quodam temporis interuallo conſtiterit, ac in ipſum incidens naturalis cuiuſdem humoris feruorẽ ſuſceperit: uegetalis, auctiueq; facultatis ratione zoophitis, quę inter plantas, animaliaq; ambigui generis ſunt quã ſimillimum efficitur. Etenim, hęc hominis ſtirps uegetatur, augetúrq;, & partiũ membrorúmq; formam ſuſcipit. Incrementum denuo illic ſenſim capiens, in animal uertitur, & ſuas in ipſo actiones uitales facultates exercent, cum & pelagicis animalibus ſimile fiat. Quapropter et embrionem appellãt, quod ad alimentum, incrementúmq; capiendum facile manat, dictum à Gręco βρύειν, quod mano, ſeu ſcateo ſignificat. Siue quod cibum intus contineat, qui Gręce βορὰ dicitur. Siue quod in homine conſiſtat qui ab ipſis βροτὸς nuncupatur. Matrix uero, quod illius quod procreatur mater ſit. Nam his nominibus eam Græci appellant. νηδὺς. δελφὺς. ὑστέρα. quod ventrem, vterum, vuluam interpretareris. νηδὺς quidem, quod uoluptatem diceres, Quoniam rem cum uoluptate peragit. Seu à Græco ἡδονεμεῖσθαι, quod aſpe-

ritatibus cumulatam, refertámque eſſe ſignificatum optinet. Etenim, natura ipſam aſperam protulit, & accetabula cum Venis, & Arteriis quibuſdam adhibuit, ne ſemen ipſum lubricitatis gratia ellaberetur, puerperáque infœcunda permaneret. Siue quod defluxus alimenti conceptui ab ea proueniat à Græco δεύειν, Quod defluere diceres, uel à νὴ quæ eſt pars priuatiua, & δὺς, quod procreandæ ſobolis ui nonnunquam priuatur, ac laborioſum patitur partum. δελφὺς uero, quod græce ἀδελφοποιὸς, quod fratres procreantem explicares, nam ἀδελφοὶ ex eodem utero, qui δελφὴ dicitur procreati, fratres adinuicem appellantur. ὑστέρα autem, quod græce ὕστερον nouiſſimum dicitur, quia omnium partium nouiſſima proprios actus oſtendit, cum in partu perficiendo, atrahendi, continendi, alterandi, excernẽdique quæ eius facultates ſunt, utatur. Seu quod nouiſſimum aliorum ab aluo ſitum optinet. Siquidem conceptus, in uulua alimento, ac ſpiritus reciprocatione, non oris, ſed umbilici officio utitur, quod ex matris ſanguineis excrementis fit, unde, & umbilicus ὀμφαλὸς græce, ἀπὸ τοῦ ἐμπνεῖν, quod reſpirare eſt nuncupatur. Corporis nanque quaſi medium qua ipſe ſitum optinet habetur. Siquidem, in huius animalis ortu membrana ſubtilis quædam primum concreſcit, quæ ab illis χώειον, quod ſecundam denominares ἀπὸ τοῦ χορῶ, quod contineo diceres, cum fœtus ab ipſa contineatur. ſiue quòd locus eius ſit, qui ab illis χώριον nuncupatur. uel à χορηγέω, quod impertior diceres, quia fœtui ab ipſa alimentum impertiatur. Dehinc cor, quod omnibus membris proportione reſpondet, cum à natura primum conſtituatur, totam naturæ ipſius conſtitutionem ſuſcipit. Quamobrem, in naturę officina, ad corporis contextũ peragendum compoſitionis ordine, moderate propriis principiis perficitur. Quadrupedum autem animalium genus, in vulua porrectum conſiſtere figuratur; Homo uero naſum inter genua medium continens, oculis genibus infixis, aures extrinſecus retinet. Et

cum

cum iam legitimum edendi partus tempus completum fuerit, uenter in tumorē erectus, fœtum ad exteriora expellit; & soluto primum capite, eo motus ordine, illa quæ grauiora corporis, corpulentiora quæ sunt ab ipso tracta (has quidem partes ad humeros, pectúsq; esse constat) extra serpunt. Et hęc quidem semita eorum qui naturę ordine nascuntur recta habetur. Tumores uero uentris, qui præter naturam eueniunt, partúsq; difficultates missas faciemus. Mox igitur ab ipsa umbilici abscisione, tum alimētum, tum respiratio ad os progreditur, quod quidem post hac infantis alimentum lac esse, quòd optime ipsum alat omnibus perspectū habetur. Lac autem nihil aliud est quam sanguis in genitricis papillis in albedinem conuersus, quem uenarum officio quę amphisbenę nuncupātur ab uulua papillę suscipiunt. siquidē papillæ quæ Græce μαστοὶ fœminarum præcipue dicuntur, quasi μαστοὶ mansi uidelicet, cū hi affatim alimentū suppeditent. siue quod iam in lucem editis fœtibus escam quam ipsi μάστακα nuncupant impertiatur, unde manducatio, quod illi μάστημα dicunt. uel ἀπροσμάττεσθαι, quod applicari interprætareris, quia ipsis infantes primum applicantur. siue quòd à lactentibus infantibus trahantur, a græco ἐπισπᾶσθαι, quod trahere diceres. siue à μαίω, quod quęrere significat, quia eas pueri quærant, unde, & mater à pueris quæsita dicitur; Siue quod quę ad fœtus alimentum necessaria sunt quęrat. Aut, quod naturæ ui illa quę generantur eas inquirant. Quod uero illud μαίω quæro significet, apud Homerum est, qui ait, μαιομένη κευθμόνας, idest, quæ latebras quærit. vnde & obstetricem, quę ab ipsis μαῖα dicitur, ex eo quòd utero latentes infantes quęrat dictam putamus. Infans uero, qui græce βρέφος dicitur παρὰ τὸ δέεσθαι φορβῆς, ex eo quòd alimenti indigus sit, quod ab illis φορβὴ denominatur appellatus. Corpore igitur, nec non temperamento, quod ex elementis prouenit, cum animę expertibus homo cōmunicat, cum stirpibus uero, tum his, tum uegetali, seminaliq; facultate. Cum his

autem quę ratione carent, præter ea quę diximus, ſenſualem, reſpirandiq; potentiam iuſta proportione communem habet. hæc enim cuncta hominibus cum rationis expertibus & ſi non omnia omnibus communia ſunt. At qui ob rationalem uim, cum idoneũ ætatis tempus fuerit nactus, ſingula animaduertendo, intelligendo, ac diiudicando, incorporeis, intellectualibuſq; naturis compar efficitur. Anima uero ab initio cum ſemine, ut ſapientiſſimus Gregorius ſcriptum reliquit, cum corpore contexitur. fieri enim non poteſt inquit, uti exiſtimemus, ipſam animam alienę ædificationi congruere, ſic uti nec ſigillum ceræ impreſſum accõmodari alienę imagini ullo pacto poſſe. Quemadmodum enim ſemen ex minimo quodam, ad illud quod perfectum eſt redigitur, ita & animę actio, recta ratione ſubiecto corpori inſita, cum eo ſimul acceſſionem, incrementúmq; ſentit. Siquidem, ſolæ eius, uegetalis, A uctiuáq; facultates, in prima conſtitutione ceu radix quędam terrę recondita ipſam pręueniunt: Nam illud quod accipit, prę ſui exiguitate maioris capax eſſe haudquaquã poteſt. Dehinc ſtirpe in lucem edita, necnon cum ſoli ipſi germen oſtenderit, ſenſualis facultatis gratia ſubit. Cũ uero ad uirilẽ iam ætatẽ euehitur, moderatáq; magnitudine ſit prędita, rationalis facultas fructus cuiuſdã uice prouenit, quę confertim haudquaquã oſtenditur, ſed una cum inſtrumenti perfectione, prę ſuæ prouidentię captu incremẽtum adepta, tantundem fructus perpetuo edit, quantum capiendo ſubiecti facultas ſufficiet. Siquidem, naturę potentiam, primę conſtitutionis occaſioni admixtam eſſe conſtat. Verum, cum ad perfectionem progreditur, naturę cõtinuato tenore dilatatur, ac manifeſta redditur. Neq; uero quippiam, ut perfecta efficiatur eorum quę extrinſecus ſunt accipit, ſed ſe ipſam propria ui incepto tenoris ordine debito fini conſtituit, ut neque animam corpus pręcedere, neq; ipſum corpus uiciſſim anima ſeparatum, ut Græci nugantur, ſed utriuſque idem principium eſſe ueriſſime credendum ſit. Quoniam uero homo ex corpore eſt,

corpus autem quodlibet ex elementis quatuor constituitur, ipsum iisdem affectionibus quibus & mundum subici necesse est. Etenim elemēta, unde totius orbis constitutio, Terra, Aqua, Aer, ac Ignis sunt. Nam, hęc, gręce στοιχεῖα appellātur παρὰ τὸ συστοιχεῖν ἀλλήλοις, quod mutuo adinuicem ordine recte procedant, ac uniuersim omnibus in rebus optime congruente qualitate rite conueniant. Neque enim horum quodlibet peculiarem quandam, ac seorsum sortitam qualitatem qua ab aliis secretum esset, ut quale sit comprehendi queat optinet, sed consertis adinuicem facultatibus consistunt, ut nullum per se solum absolute consistere, neque simplex, sincerúmq; esse credendum sit; sed Terram quidem sicca, frigidaq; qualitate; Aquam uero, humida, ac frigida; Aerem autem calidum, humidúmq;; Ignem uero, calidum, ac siccum esse: sic coniunctę qualitatis gratia quo quodlibet eorum inuicem commisceatur, uis procedit. Verbigratia: cum Terra sicca, frigidaq; sit, frigiditatis cognatione cum aqua unitur. Sed aqua, ob humiditatem, aeri cognata redditur; Qui, cum calore humiditateq; prædictus sit, qua calidus cum igne, qua uero humidus, cum Aqua conseritur. Cum autem Ignis natura, calida, siccaq; habeatur, qua calidus, aeri copulatur, quod uero in eo siccum est, cum terra iungitur. At Aqua, frigidā, humidamq; qualitatem optinens, frigiditate quidem terræ, humiditate uero aeri applicatur. & ita, circularis quidam ordo, locúsq; quàmmaxime concors, hoc pacto efficitur. Et hæc quidem ut prima elementa, cum in materias, formasq; resoluuntur, omnifariā indiuidua animę expertia. ipsaq; prædita, ac ea quę zoophita nuncupantur, constituunt. Ab his, sapores, qui corpori nostro cognati sunt, sanguis inquam, ac pituita, flauaq;, & atra bilis progenerātur. Etenim, sanguis, cum calidus, humidúsq; sit, aeri proportione respondet. Flaua uero bilis, calida, siccaq;, igni, atra autem frigida, & sicca, terræ; pituita uero, utpotè quæ frigida, ac humida est, aquæ proportionatur. Sed quoniam hæc,

sectioni, mutationiq;, ac fluxui perpetuo obnoxia redduntur, & corpora, horum passionibus subiici oportet. Sectioni quidem, qua sapores ab inuicem secernuntur, ac quasi ipsi in materiam, formamq; secantur. Mutationi uero, qua ad qualitatem, quantitatemq; attinet, siue, cum calescere animal, rigereq; accidit; aut, cum exuberantiã, decrementúmq; patitur. fortassis, & morbis causantibus, ac cum ætatũ alteratio subsequitur id accidit. Quoniã uero annus in tẽpora quatuor, Ver, Aestatẽ, Autumnũ, & Hyemem diuiditur, & homines ætatibus quatuor distinguntur. Nam prima puerilis, quinquennii. Secunda ætate florentium: Tertia, mediæ ætatis, Quarta uero senectutis est: Tametsi à Medicis & aliȩ addãtur, infantium inquam, quȩ puerilis est, & qui extremo sunt senio confecti. Etenim, in Iuuenibus sanguis: qui uero ætate florent flaua bilis, atqui ætatis florem prætergressi sunt, bilis atra, in senibus autem pituita exuperat. Iuuenes quidem, calidi, humidiq; temperamenti sunt, qui & ueri proportione respondent. Qui autem ætate florent, cum calore, siccitateq; præditi sint, æstati proportionantur. Quorum uero media ætas est, sicci, frigidiq; habentur, autumno similes sunt. At senes ipsi, frigidi, humidiq;, hyemi similãtur. Siquidem, in Iuuenibus, & qui ætate florent, insitus calor plurimus est. Qui uero ætatis florem prȩteriere, mediocris, in senibus autem permodicus est. Et in aliquibus quidem modum excedit, in quibusdam uero augetur. In aliquibus autem aliquantisper in statu est, et in aliis aliqua ex parte minuitur, sed in aliquibus magis, in aliquibus uero minus. At qui, & ob effluxus patitur, quòd animal patentibus, obscurisq; meatibus usquequaque exinanitionẽ sentit. Et patentibus quidem, humidum, siccúmq; excrementum, mucosiq; humores, sputáq;, & spiritus excernuntur. Obscuris uero ductibus, qui & naturales sunt, à iecinore procedentibus fistulis multifidȩ respirationis per totum corpus emissio fit. Sed & fumosæ exhalationes, quȩ per caput, arteriásq;, ac cor

poris meatus procedunt, ipſum per ſudores exhauriunt. Cum autem ea quę exhauſta ſunt, ſicca, humidaq;, ac ſpiritu prędita ſint, animal, ſicco, ac humido alimento, & ſpiritu indigere neceſſe eſt, ne ſcilicet ingredientis alimenti inedia deſtruatur, concidatq;, ſed exhauſtis ex alimento congrue adhibito par uiciſſitudo reddatur. Etenim, qui nobis inſitus calor eſt, inflamantem, alimentúmq; præbentem materiam ſibi perpetuo expetit: Et ſi ipſa nonnunquam potiatur, neque hac de cauſa eius actio ceſſat: ſed cum colliquatione, excretionéq; eorum, quæ ingrediuntur ceu in ea qua æra funduntur fornace uſus eſſet, aliud denuo alimentum expetit, nec unquam animal à tali motu quo natura præditus eſt deſiſtit. Si uero, quod mouetur quandoque deſtiterit, & animalis eſſe deſtruitur. Talem autem motum appetitũ nuncupamus, qui quidẽ nihil aliud, quàm eſus, potúſq; indagatio eſt. Nam apetitus, ſtomachi naturale opus, quod ſimul cum animę ſenſu prouenit habetur. Siquidem cibus, potúſq; ex elementis ex quibus & conſiſtimus, nobis ſubminiſtratur. Quoniam elementa ipſa in fructus etiam permutãtur, fructus uero in alimenta, at alimenta ipſa in elementales ſapores, ſanguinem ſcilicet, pituitam, flauam, & atrã bilem: Hi enim in carnem, cutem, oſſa, neruos, venas, arterias, medullas, exungiam, ſpiritus, membranas, carnis reuolutiones, ligamenta, muſculos, chartilagines, ungues, pilos, reſolutionem patiuntur. & hęc in formulas, membraq;, & partes, nec non particulas, unde formę corporis noſtri perfectio eſt diuiduntur. Etenim, elementis quibuſdam propius, ſimúlq;, ac re aliqua mediante utimur. Verbi gratia aqua, nonnunquam per ſe, quandoq; uero uino, oleo, & omnibus aliis qui humidi fructus nuncupãtur admixta. Pari autem modo & ignem ad uſus noſtros conuertimus, aliquando propius cum ab ipſo calefieri accidit, nonnunquam uero his quę coquuntur, quæ nobis eſum, potúmq; ſubminiſtrant. Nec ſecus aere utimur, propius quidem, cũ eum halitu quòd nobis circunfunditur atrahimus, ac dum eſu, potúq; fruimur, ſpiritus

reciprocatione, aliisque item quę nobis adhibemus mediantibus. Terra quidē propius haudquaquam, sed mediis animalibus, seminibúsq;, ac stirpibus uescimur. Nam, tum stirpium, tum seminum naturam, nō ipsius terrę gratia, sed tum ad alimentum hominum, ac aliorum animalium, tum ad constitutionem, à rerum opifice procreatam constat, Inde fit, uti stirpium, seminúmque usus repertus animalium causa sit, sed tum ipsa, tum animalia ut homini inseruiant procreata esse manifestum habetur, quo alimentorum, quæ ceu circulari quadam uicissitudine exhibentur, eorúmq; unde fructus suppetuntur, natura indeficiens permaneret; Quanquàm ad quodlibet ex elementis diuersa genera in dies singulos clàm demigrant. Etenim, elementorum quę diuersæ qualitatis sunt adinuicem conuentu, eius, quod ad corporis nostri fabricam attinet, ac omnium quorumcunq; aliorum generum quæ diuersa habentur constitutio perficitur; Quæ ex pluribus diuersis concordi adinuicem ordine copulatis, rite consistunt. Cum uero cōuentū, quo elementorum harmonia iuncta constiterat, congruo tempore resolui contigerit; compositum corpus in perniciem actum, in ea ex quibus constitutū fuerat denuo resoluitur, quodlibet eorum quæ in unum conuenerāt, ad sibi præscriptum locum reuertente. Hoc nanq; ; ceu circularis quædam figura habetur, quod & naturę continuatus ordo, & corporis officium, elementorúmq; series, ac temporis hebdomatica circulatione dimensio est: quòd ex eodem originem sumens in idem definit. Et quale quidpiam in Agricultura fieri cernimus, cum ex nubibus procedens hymber, siue per Aqueductus defluens humor, subiectum locum madidum reddit. Ortus quidam exempli gratia sumatur, in quo innumerę diuersarum arborum, ac uariæ species eorū quæ terra procreat, aluntur. in quibus singulis, tum formæ qualitate, peculiariq; proprietate colorū plurimum discriminis inspicitur. Cum igitur uno in loco, tam multa ab uno humore alantur. Siquidem facultas quæ horum singula humectat unum quoddam natura habetur:

at eorum quæ aluntur proprietas humore cauſante diuerſas in qualitates commutatur; Nam, in Abſcinthio, quod eius peculiare eſt amareſcit. In aconito autem in ſaporem qui perniciem inducit, tranſmutatur, ac in aliis diuerſa fiunt. In Croco, balſamo, ac papauere, eorum quoddam calefaciendi, aliud refrigerandi, quoddam uero media qualitate præditum eſt. Idem, de lauro, ac lentiſco, & his ſimilibus dixeris. In ficu quidē, ac uitibus, dulcedo illa optimi ſaporis innaſcitur, ex quarū racemis uinū fit, tum qui in pomis ſuccus exiſtit, roſarúmq; rubedo, liliiq; ſplendidus candor, Violéq; ceruleſcentis color apparet. Necnon omnia quæ in terra uiſuntur, ex uno, eodémq; humore germinantia. in tam numeroſas, diuerſasq;, ſecundū figuram ſpeciémq; qualitates diſtinguuntur, ut eorum numeros percenſere laborioſiſſimū habeatur. Tale quidpiam natura ipſa, ſeu naturæ potius princeps, in noſtro quod anima præditum eſt aruo mirabile operatur. Vnde oſſa, chartilagines, venæ, arteriæ, cunctáq; quę nuper retulimus fiunt. ex quibus denuo, oculi, tunicule, nares, aures, lingua, dentes, gingiuę, gurgulio, clauiculę, thorax, cor, pulmo, inteſtina, venter, cunctaq; uiſcéra cum liene, iecinoréq;, ac aliis omnibus quæ intus conſiſtunt, ad hęc, manus, pedésq;, & omnes partes quę inſtrumentales habentur, diuerſis inter ſe officiis ſecretæ, una tantum alimenti inſuccum mutatione, propria ſui natura rite alimētum ſentiunt, utpotè qui omnibus ſubiectis partibus idem admouet. Nam, cuicunq; parti adhibetur, in ipſa & alteratione ſentit, ac cum parte cui adhibitus fuerit, peculiaris, ac coaleſcens efficitur. Si enim ad oculos ſeceſſerit, cum uiſibili ſpiritu eiuſdem temperamenti efficitur. tum ſi ad oculi tunicas perrexerit, diuerſis partibus proprio iure ad ſingulas diuiditur. Si uero ad eas quæ auditus ſunt partes defluxerit, audibili naturæ commiſcetur: necnon labiis adhibita, in labia cōmutatur. Sed et in oſſibus concreſcit, & in medulla molliciem ſentit, necnō cum neruo contenditur, ac ſimul cum ſuperficie extenditur, Simili modo in ungues procedit,

inq; pilorum constitutionem congruis uaporibus gracilatur. Si uero uaporibus ipsis per tortuosos meatus progredi contigerit, crispiores, tortuosioréq; pili constituuntur. Atsi uapores, à quibus pilorum ortus in rectum progredientur, porrectos, distentósq; ipsos fieri accidet. Qui enim à fumosa emissione quæ à stomacho ad caput fertur pili oriuntur, si ea alba, magisq; pituitosa fuerit, ocyus albescunt; à biliosiore uero, magisq; sicca, tardius. Siquidem canescere, ridereq;, hominis tantum peculiare habetur, sed canicies ipsa non omni tempore, sed cum senio tantummodo prouenit. Hæc nanq; à Grecis πολιὰ nuncupatur, siue quod λευκὸν, πολιὸν dicunt, quod candidum diceres, siue quasi παλαιὰ, quod uetustam explicares, quia uetusta cum senescimus fit. Cum succus igitur unde totum corpus nostrum alimentum sumit optimus, ac sapore præstans fuerit, uitalisq; spiritus boni temperamenti existit, permanétq;, corpora præstanti colore, actuosaq; redduntur. Ad hęc, oportuna anni temporum mutatio, ventorúmq; constitutiones, ac aeris temperies, necnon accommodatus alimentorũ usus obsecundant. Cum enim horum quodpiam aliqua ex parte frustrari contigerit, naturæ ordo præuertitur, tum si frigus ad intima penetrabit, insitus qui in nobis calor est frigescit, ac quasi quędam tabifica affectio subsequitur, qua corporis flos, rubescens uidelicet eius color deperditur. Quoniam uero corpus nostrum, temporum mutatione rigescit, calescitq;, natura nobis crassam cutem vt Bobus, seu aliis huiusmodi animalibus, quæ simili prædita sunt cute, haudquaquã super induxit. Sed neque amplis pilis, densisq; vt pecudes, caprarúmq; genus couestiuit: Neq; vt serpentes, piscésq;, reddidit corticatos: nec testam, vt testudinibus, ac coclearum generi, cunctisq; quæ testacea sunt, largitus est. Sed neq; pennarum velamen, vt auibus adhibuit. Necessarius igitur nobis vestimentorũ vsus extitit, vt eo, quod rationis expertibus animalibus natura impartita est expleremus. Ad æhc item, ædibus nobis opus erat, quibus hymbrium, hyemisq; tempestatem,

ſtatem, caloreſq; declinaremus. Prȩterea, quia id quod in eſum, potúmq; adhibemus, confici aſſidue contingit, alio indigemus. Tum ob qualitatum intemperiem, ac ne corporis copula ſoluatur, nobis medicorum curatione opus eſt. Neq; enim res ipſas ad hominis tantummodo alimentum creatas eſſe, ſed multo magis medelȩ ipſius gratia cenſendum eſt: Nihil enim eorum quȩ terra continentur exiſtit, quod medicinæ arti non conferat, hominiq; opituletur: Siue ferarum genus, ſerpentúmue, aut uolucrum, ſiue ſtirpes, herbas, lapides, uel omnium rerum quȩ in terra, mari, ac uniuerſo orbe uiſuntur ſpecies complectaris. Homini igitur ob aſſiduas euacuationes, quódq; illa quȩ accipit abſumuntur, utq; animal à ſui conſtitutione non deſinat, alimento iugi eſus, potúſq; opus extitit. Siquidē, ſolido alimento, primo præcedentiq; ordine, humido uero ſecūdo ipſum ſubſequente utimur, quo ſiccū, humido pro uehiculo ſit, ut ipſum ceu manu ad exteriora deducat. Quemadmodum Hyppocrates, humidum ſicco alimento uehiculum eſſe aſſeuerat. Prȩterea, & veſtium uſu indigemus, cum nullum nobis ualidum tegumentum natura impartita ſit. Domibus uero, quo ab ambientis nos aëris intemperie, ferarúmq; in curſu tutos efficerent. Medicinæ autem curatione, tum qualitatum mutationis cauſa, tum etiam ob ſenſum quo corpus noſtrum prȩditū eſt egemus; Qui niſi nobis ineſſet, nec dolor ineſſet; Nam nullum dolorem ſentientibus, nulla medicȩ artis cura opus fuerat. Sed in ipſa mali ignoratione, nihil ægritudini ipſi opis inferentes, in perniciem uerteremur. At artiū, ſcientiarúmq; cauſa, atq; ob earundem uſum, mutua nobis conſuetudine opus eſt. Et quia alteri, alterius opera indigemus, quàm plurimos in unum conuenire oportuit, quo in communi omnibus uitȩ neceſſariis conſuleremus: Quem conuentum, cohabitationémq; Ciuitatem appellari placuit, ut propius, non autem ſemoti inuicem utilitatibus conſuleremus. Homo enim natura ſotiabile, politicúmq; animal habetur, nec unus per ſe ipſum ſibi ipſi ad omnia ſufficit. Hinc igitur

urbes, ob conuentus, disciplináſq; conditas eſſe certum eſt. Ciuitatē uero, non modo quę rite condita ad incolendum habitatio eſt, ſed & conuentus, cohabitationeſq; multorum utilitatis conſulendæ cauſa eſſe definiunt. Homo autem ſuper omnia animalia ratione prædita, ipſiuſq; expertia duo hęc pręclara præcipue ſortitus eſt; alterum quòd ſolus is pœnitentiā agendo, uenia dignus fit, Alterum uero, quòd cū corpore mortalis ſit, immortalis efficitur; & hoc quod ad corpus attinet, animę, quod uero ad animam, corporis gratia aſſequitur. Solus enim homo ex his quę rationalia ſunt ἐξαίρετον ἴδιον pręcipuū quoddam eius peculiareq; quod eſt ut uenia à pœnitentia dignus efficiatur acquiſiuit. Nam irrationalium in nobis affectuum ob cognitionem quæ nobis ad rationis expertem naturam eſt occaſio innaſcitur: Siquidem, affectuum cognatio, nos, rationéq; uacātes ex pari occupat. Homo duplici ſimilitudine ad ſibi contraria præditus eſt; mente quidem, quę Dei imaginē repręſentat, ad Dei ipſius pulchritudinem ſe tranſmutat: Impetu uero, qui ab affectu proficiſcitur, peculiare quoddam cum brutis poſſidet. Sed & totus plerunq; qua ad bruta procliuis, pro penſúsq; eſt eorum naturę efficitur; Cum à deteriori illud quod nobilius eſt occupatur. Hac igitur de cauſa, pœnitentiam inſigne munus Deo largiente poſſidet, uti ipſa media à culpa ob comiſſa à ſe crimina immunis fiat. Etenim hoc ſoli, et omni homini pręſenti uita ſuperſtite, ac perpetuo tributum eſt. Cum uero fato functus fuerit, id minime aſſequi poteſt. Et quemadmodum riſibile, eius ſubſtantiæ, uel potius ſpeciei propriū habetur, (quoniam hoc ipſe paſſim, perpetuóq;, & ſi non ſemper ipſo utatur pręditus eſt) ita ſingulari quodam iure, ac pręcipuo præter aliorū animalium genus à mortuis reſurgere. nec non ad immortalitatem tendere proprium optinet. Hoc autem ei, animæ immortalitatis gratia contingit, uti mors, ob imbecillitatem, paſſibilitatemq; corporis. Proprium autem, tum artium, tum ſcientiarum erudimenta percipere, atq; in qualibet arte actionibus, inuentioni=

nibúſq; uti hominis naturę habetur.

QVOT FACVLTATIBVS
homo prædítus eſt.

TRes in hoc animali ratione prædito facultates perpetuo agunt, Animales uidelicet, Naturaléſq;, ac uitales; quæ.ſ.principales, ſenſualéſq;, ac motiue nuncupantur. Et animales quidẽ, quę & principales ſunt, imaginatio, cogitatio, memoria, opinio, conſyderatio, & qui particulatim ſenſus, uoluntariiq; motus habẽtur. Vitales uero, eas: In quibus ſpiritus reciprocatio, et pulſus eſt dicimus. At naturales, genitalẽ, uegetalẽ, auctiuã, queq; earum miniſterio ſubiiciuntur: quales ſunt illa quę attrahendi, cõtinendi, alterandi, excernendiq; uim habent. Ad hęc autem aliarũ quædam eſſe, quàm diſcretiuam dixeris, quę dum ſui officio per omnes partes fungitur, ipſis conſtitutionem, alimentúmq; largitur: ac quę ſuperuacua ſunt expellit. Scire autem neceſſe eſt, has facultates ex tribus partibus originem ducere: A capite quidem, unde conſyderamus, ſentimúſq;, ac reminiſcimur, locorúmq; utimur mutatione. A corde uero, qua iraſcimur, ac ſumus calore prędíti. Prætereain ipſo corde & pulſum continemus, unde & omnibus arteriis ſubminiſtratur. Sed à iecinore illud unde alimẽtum ſumimus, incrementúmq;, ac totum corpus noſtrum irrigatur, procedit. Harum autem facultatum quęlibet, mentis cauſa agit. Quoniam omnis actio potentiæ perfectio habetur. actiones autem mentis potentię ſunt; at mens ipſa principalis animę pars eſt, & quidem eius natura per ſeipſam comprehendi haud quaquam poteſt, quæ cũ materię, corporiſq; expers habeatur, à nullo præſcripto corporis loco continetur. Nam hæc ſola animę oculus eſt; ſed omnis tamen uoluntarius motus, ipſius opus eſt: Siquidem, imaginatio ipſa quemlibet uoluntarium motum anteit. Imaginatio autem principalis animę partis impreſſio eſt; cuius officio ex opinatione quadam rerum quę in præme-

ditatę ſunt ſub obſura illuminatio gignitur. Cogitatio, proprius mentis motus habetur, quæ per ipſam agit, reſq; diiudicat: Diiudicationes uero, diſpoſitionesq;, ac malorum declinatio, & impetus, rerumq; animaduerſio, & uirtutes, ac ſcientiæ, nec non artium rationes, conſiliiq; capiendi modus, intellectualis officio demandantur. Sed quæ iam obſeruata à nobis, uel animaduerſa ſunt, aut intellecta, ſiue pacta, uel quæ auditus percepit, memoriæ cura ſeruantur. Opinio uero, cum horum perfectiua ſit, ea quę ſenſuum officio imaginatione, & cogitatione deprehenderat, quæque actione peregerat, ac perceperat auditu; nec non quæ memoria tenuerat repetendo, conſyderationis diſpoſitione explet. Conſyderatio uero mens eſt, quæ recta cum ratione ſapientem uitam præeligit. Mens autem natura intellectualis eſt, quæ omnia quæ in rerum natura ſunt, tum artes ipſas, tum ſcientias intelligit, ac perficit. Siquidem mens à Græcis νοῦς παρὰ τὸ νέεσθαι, quod meare diceres; quę perpetuo uidelicet meat, atque mouetur, & quæ omnes quæ à nobis res fiunt præcedit, nuncupatur. Quidnam mente ipſa (ut Homerus aſſeuerat ocius habetur, qui ſic ait.) ὥσδ' ὅταν ἀΐξη νοῦς ἀνέρος. Quod eſt, utq; hominis cum mens rapitur. & alibi ὥστε πτερὸν ἠὲ νόημα, ut pennę, ſeu mens. At qui, à mente ipſa & orationis ortus eſt, Quæ & uocibus formatur, & literis quaſi corporea redditur. Nam oratio quæ lingue, labiorúmque miniſterio procedit; à mente ipſa progeneratur: ſed ita eius generatio fit, ut cerni nequeat: neque paſſioni, labori, uel diuiſioni obnoxia redditur: Ipſa enim corpore uacans, inuiſibiliſque eſt, & quę comprehendi nequit, ab audibili tantummodo ſenſu percipitur: Nullus quidem eſt, qui oculis, ſeu manu orationem deprehenderit: ſed natura carporis expers habetur, atque omnino deprehendi nequit. Ab uno tantum audibili ſenſu cōtinetur. At neque auditus ipſam extenſis manibus detinet, ſed ipſa tota ſua ſponte ingrediens detinetur. neque à mente quę ipſam procreat diuiditur, aut ſcinditur, ſeiungitúrue, ſed omnes ipſam audien=

tes replet; cum nec à mente ipsa unde originem duxerat procul existat. Cogitatio autem, & animæ consilium; ab oratione ipsa deprehendūtur. Quamobrem; Magnus Basilius inquit. Deus qui nos creauit, orationis nobis usum largitus est, ut cordium consilia inuicem detegendi facultas sit, ac cōmunicabilis naturæ gratia omnes quę cuiq; insunt inuicem partiremur, dum ex corde, ceu ex arcano quodā promptuario consilia depromeremus. Si enim nuda tantum anima uitam produceremus, ab ipso intellectu protinus inuicem conueniremus. Sed quoniam anima nostra sub carne, ceu uelamine quodam detenta cogitationibus utitur, uerbis, rerúmq; nominibus indiget, quo quę in intimis continentur in publicum ederet; excepto quòd prius à rebus ipsis formula quędam in intellectu oritur; debinc cum mens ipsa imaginatione usa fuerit, ceu delectu quodam à subiectis rebus habito, peculiares, accommodatásq; cuiuslibet rei significationes denuntiat. Postea uero, cum quę intellectus deprehenderat, uocalium instrumentorum officio tradiderit, hoc pacto aeris fomatione intellectum ipsum qui in arcano constiterat, articulatæ uocis motu palàm ostendit; & hoc in natura animalis ratione præditi uti animę arcana pronuntiatiuę orationis munere detegantur, peculiare habetur. Nam Angelorum intellectuales substantiæ, ipso intellectu inuicē cōueniunt: Humanā uero orationē intellectus Angelū esse nōnulli statuerunt. Sed altera quidē interna, altera uero pronūtiatiua oratio dicitur: Et interna quidē est, quæ in corde loquitur: quę uero ad eloquiū, usúmq; uenit, fluxus est; qui cum uoce à cogitatione emittitur. Non autē omnis uox oratio dicitur, sed quæq; res quę strepitum ad auditum defert, uox nuncupatur. Quoniam uero animę nostræ duplices actiones habētur, alterę quidē quæ ad cognitionem (ut nuper asseruimus) pertinent; ut mens, opinio, imaginatio, sensus, ac cogitatio sunt: Alteræ uero uitales, appetiscibilésq;, ut uoluntas, iracundia, desyderium; de quibus deinceps referemus. Mentis quidem uniuersas actiones, in cerebri quod in ca

pite est concauis locis diuisas, illis inquam quæ in sincipite, ac occipite, quæq; in medio sunt, nonnulli consistere statuunt: inde uidelicet argumentum sumentes, quòd hæ, peruersione quadam ex morbis nonnullis subsequente destruuntur. Siquidem, nonnunquam, imaginationis, cogitationisq;, & memoriæ uis, earúmq; consyderatio, simul in mente captis prçuertuntur: aut ipsi harum amputationem patiuntur. Plerunq; uero, in singulis harum idem euenit. Verumenimuero; mens ipsa in hominibus legitimo naturæ ordine degentibus, opere, uel oratione, quod peculiare prudentiæ munus est agere, solet. Qui uero imbeciles partes sunt, cum cõpotes naturalis eius facultatis, aut motus esse nequeũt, in his, ab omni actione ipsius immunes efficiuntur. Quẽadmodum in illis qui in musica exercentur cernere est: Nam hi, instrumentis ex diuturna intermissione artis labefactatis, scissisq;, scientiæ suę uim ostendere nequeunt. Hãc autem mentem, non modo Animalibus, uitalibus, & naturalibus facultatibus præesse compertũ habemus; sed ipsam etiam per quinq; sensus suam uim ostendere certum est. Cum autem se ipsam ad singulas sensualium facultatũ diuidat, harum cuiuslibet officio, rerum cognitionem rite repetit: Quæ enim cernuntur, oculis consyderat. At quæ dicuntur, auditu animaduertit. Quæ uero esus sunt qualitates, linguæ officio diiudicat: Olfatu autem uaporum discrimina probare solet: & manu pro sui arbitrio ad omnia instrumento cooperante utitur. Nam membrana quæ cerebrũ ambit: cum naturæ ordine sensualium instrumentorum ministerio quæ ab ipsa mouentur ad uisum, olfatum, auditũ, & gustum rite accommodantur, animali spiritu medio sensibus inseruit. Vitales autem facultates, à corde ipso proficisci didicimus. Etenim, cum anima in nobis insiti caloris motu qui semper mouetur instrumenti uice utatur, (hic à nonnullis uitale robur nuncupatur,) uniuersam sui actionem perficit. Siquidem; uitalis spiritus qui inde scatet, cum cerebro suppeditet, ac inde ad sensus, cunctósq; corporis neruos proce=

dat; uita præditi, actuosiq; efficimur. Nam, cum à corde pulsatilis motus proficiscatur (neque enim aliud pulsus, quã cordis, arteriarúmq; motio est) qui à uitali facultate, pulmone dilatationem, contractionemq; sentiente, naturę ordine mouetur, hoc fit, quo fumosa excremẽta ad exteriora deferantur, ac sincerus aer uicissim admittatur: utque uitalis tenor, insitus uidelicet cordis calor incitaretur, inflamaretúrq;. A iecinore autem, naturales facultates mouentur; Nam totum corpus nostrum ipsius officio alimentum sumit; ab illo incrementum su- 1
scipimus, ac denuo nobis alimenti appetitus innascitur: Is uero ob cõctionem, partitionemq;, ac sanguinis procreationem, atque additamentum, & segregationẽ, nec non excretionem prouenit. Tres nanq; hæ facultates, quæ à corde, iecinore, ac cerebro oriuntur; totius uitæ nostrę regimen obtinent: Quamobrem, istas animę partes esse nonnulli statuerunt: Nam quidam ex his qui sapientiam profitentur, triplicem animæ portionẽ sub imo impassibilitatis barathro demersam iactat. At qui, eius quę corpore uacat ut triplicem portionem dicas mirabile habetur. Verum enimuero, irascendi, appetendi, rationalisq; uis, actus quadam animę potius, facultates uidelicet sunt. Siqui 2
dem, irascendi uis, à corde, appetendi, à iecinore, rationalis, à cerebro proficiscuntur: & ab ea quidem quæ irascendi est, ira gignitur. Ira uero quę græce θυμὸς nuncupatur, sanguinis qui circa cor existit feruor est: qui uti tristitię uicissitudinem reddat, unde scilicet irritamenta sumpserat, appetitu mouetur; à græco θύειν, quod impetu ferri diceres, quasi impetus quidam sit: uel quod præ sui motu à sanguine impellatur. Ab appetendi uero ui appetitus mouetur; Siquidem appetitus, cuiuslibet rei anima præditę in rem aliquam quam affectione prosequitur primus impetus est. A ui autem rationali, consyderatio proficiscitur; Consyderatio nanq; est, prima illa quę in men- 3
tem ingreditur cogitatio, siue motus rerum, perturbatioq;, quæ cerni nequit; siue imago rerum, quę ad sensum cogitatione media cadunt

conſtituta; cum qua mens ipſa mota, ad ea quæ ſecū formauerat clām aliquid loquitur, aut peragit. Et uirtutes quidem eius quæ iraſcendi uis eſt, tolerantia, continentia, ac fortitudo habetur. Vitia uero, iracundia, infamia, pauor, ignauia: appetiſcibilis autem uirtutes, caſtitatem, immortaliúmq; bonorum deſyderium, nec non Dei, ac proximi dilectionem dicimus. Vitia uero eius, petulantia, intemperantia, terreſtriúmq; deſyderia uoluptatum habentur. At uirtutes rationalis partis, prudentia, pietas, ac Dei timor: Vitia, calliditas, dolus, nullus erga Deum timor. Enimuero, cum Deus hominem formauit, mores ipſi, affectionesq; adhibuit, uel ad hæc utraque potius percipienda reddidit idoneum, & propter ſenſoria ipſa, mentem ceu principem in throno conſtituit; atque huic liberæ uoluntatis legem largitus eſt; cuius imperio, ſi potioribus adheſerit, in regno iuſtitiæ, temperantiæ, fortitudinis, & prudentiæ, ceu Deus qui omnium rerum ſemina largitus eſt, beatitudine frueretur: & hoc maxime ſapiētiæ argumentum eſt: Nam, per uirtutem, & liberæ uoluntatis arbitrium, & Dei ſapientia, in nobis eluceſcit. Sapientiæ autem quatuor ſpecies ſunt, quas uirtutes generales nōnulli appellarunt: Quę, iuſtitiæ, tēperātię, fortitudinis, ac prudētiæ nomine cenſentur. Harū aūt prudentia præſtantior habetur, cuius gratia conſyderatio affectionibus dominatur. Sapientia igitur, diuinarum, humanarúmq; rerū cognitio eſt. At temperantiam ipſam, paſſionum, & cupiditatum continentiam dixeris.
Vel hoc pacto, temperantia, appetiſcibilis partis uirtus eſt, qua conſyderationis appetitu impetu quodam ad turpes uoluptates tendentem continemus. Nam, alteri appetitus animæ, alteri uero corporis habentur, quorum utriſque conſyderatio dominari uidetur. Siquidem, conſyderatio, uirtutibus pro Duce, affectionibus pro Imperatore habetur; non quod ipſas penitus tollendi uim habeat, ſed, ne ipſis penitus ſubiiciamur, efficit. Vt ſi diceres nemo eſt, qui appetitus noſtros abſcindere ualeat, ſed conſyderatio ipſa ne ſeruituti ipſorum dedamur

facultatem

facultatem nobis largiri potest. Item, quis nam ille est, qui irascendi uim abscindere ab anima possit, sed ne ab ipsa seruitio premamur, consyderatio suppetias adesse potest. Non igitur consyderatio ipsa, affectiones in nobis radicitus euellendi facultatem optinet. Sed cum ipsis ceu in certamine congreditur. Geminę uero affectionum naturæ, uoluptas uidelicet, & dolentia, maximę compręhensiue sunt; Nã harum quælibet, tum in corpore, tum in anima esse suapte natura idonea est; Aliæ uero plures affectiones utranque sectantur. Appetitus igitur, uoluptatem ipsam à qua mouetur anteit; & ab ipsa uoluptate gaudii, uel tristitiæ constitutio fit; Si enim uoluptatis euentus 1
probi fuerint, gaudium; si uero turpes, tristitia subsequitur. Siquidem, ante dolentiam timor, post dolentiam tristitia subsequi solet. Ira autem, communis affectio uoluptatis, & dolentiæ est. Quod autem uoluptatis finis utrunque, gaudium uidelicet, tristitiámq; constituat, nulli non perspectu habetur. Siquidem, dum materna ubera affectant infantes, ea adepti, cum uoluptate ipsis applicantur, ab his uero quæ lusus ipsis afferunt abstracti tristitiam præseferunt. At qui, ex uoluptatibus ipsis, aliæ animę, aliæ uero corporis sunt; sed animę, quæ in disciplinis, speculationibúsq; uersantur, seorsum per se peculiares habentur. At quæ corporis sunt, quę ex animæ, & cor 2
poris communicatione fiunt, has, quę circa alimenta, ac venerea sunt esse dixeris: Nullas enim corporis uoluptates seorsum dicere queas. Et quidem (ut Plato asseuerat) alię uoluptatum ueræ, alię falsæ habẽtur. Quæ enim cum sensu, nec non fallaci opinione proueniunt, tristitiæq; complicatę sunt, falsæ nuncupantur. Verę autem, quę animę tantum sunt, quæ purę, omnisq; tristitię expertes sunt; in scientia menteq;, ac prudentia uersantur. Voluptates uero, quędam corporis, necessarię simul & naturales sunt; ut quę ad uictum, indumentáque pertinent; sine quibus superesse in uita haud quaquã datur. Quędam uero naturales; non autem necessariæ; ut coitus, qui legitimi, natu= 3

D

ræq; ordine habētur. Nam & ſine his, uita ipſa produci poteſt. Quędam uero, neque naturales, neq; neceſſariæ, ſed ſuperuacuæ ſunt, ut ebrietas, laſciuia, & auaritia, has enim cum detrimenta adferant, ſuperuacuas diceres. Voluptas autem eſt, quę & malorū morum diſpoſitio, omniúmq; paſſionum maxime multimoda eſt. Et quidem animæ paſſiones ſunt, arrogantia, auaritia, ſui exiſtimatio, principatus, & ambitionis affectatio, ꝑtinatia, inuidia. Corporis uero, beluoſitas, ingluuies, ſingularitas in edendo, quàm gręci μονοφαγίαν, dicunt. Et quemadmodum generalium uirtutum, prudentiæ, iuſtitiæ, fortitudinis, temperantiæq; plures agnatæ ſunt, quæ laudatę appellātur, ut pietas, rectum conſilium, tollerantia, lenitas animi, ſobrietas, mentis manſuetudo, beneficentia, honeſti amor, modeſtia, uenuſtas animi, continentia, pudor ingenuus; Ita & affectionum quas maxime comprehenſiuas diximus, uoluptatis inquam, atq; dolentiæ ſunt; Iracundia uidelicet, tumultuatio, ira permanens, inſipientia, proteruitas, imprudentia, inſolentia, arrogantia, contentio, odium, obtrectatio, triſtitia, obiurgatio, puſillanimitas: Ex quibus, cum & aliæ propagantes findātur, affectionum cateruam conſtituunt, in quibus ſingulis, conſyderatio ipſa optimi agricolæ uice functa, plurima perpurgando, detergendoq;, ac complicando, & irrigando, nec non ipſis ceu per aqueductus ſeſe omnifariam diffundendo, morū, paſſionúmq; materias cicures reddit. Nam, conſyderatio (ut aſſerimus) uirtutibus pro Duce, affectionibus pro Imperatore habetur, obliuioni uero, inſcitiæq; haud quaquam dominatur. Neque enim conſyderatio ſui ipſius paſſionibus; Sed his, quæ iuſtitiæ, temperantiæ, fortitudinis, ac prudentię aduerſæ ſunt, dominatur: Non autem ipſis quin fiant facultatem intercipit, ſed ne illę ſubiectæ ipſis reddātur efficit. Enimuero, obliuio, nec non inſcitia, conſyderationis paſſiones ſunt; Nam hæ, cum cognitionis aufertur actio ſubſequi ſolent. At qui, memoria, per reminiſcentiam denuo reſumitur. Siquidem memoria (ut Ariſto

teles opinatur,) imaginatio est, quæ ab his quæ sensus deprehenderat remanet. Platonis autem sententia, memoria est, sensus, & intellectus incolumitas. Anima enim, quę sub sensum cadunt, sensuũ officio adipiscitur, unde opinionis origo est. Sed per mentem ipsam intellectualia animaduertit, & intelligentia fit. Cum igitur ipsa anima formulas eorum quę opinata fuerat, intellexeratq; seruauerit, memoriæ id tenere dicitur. At memoriæ amißæ instauratio, reminiscentia est. Obliuio enim ipsam reddere exilem solet. Obliuio autem, memorię amissio est; quarum altera perpetua, altera uero, temporanea est, in qua quidem reminiscentia agit. Omnium enim affectionum; quas à uoluptate, dolentiaq;, & virtutibus, quæ his aduersæ sunt proficisci asseruimus; ab triplici animę ui, ac libera, quæ in nobis est uoluntate ortus fit: in his enim generalium uirtutum diuisio inspicitur. Atqui, in animæ ui rationali, prudentiæ locus est, inappetiscibili, temperantia continetur. In irascibili autem, fortitudo consistit. Iustitia autem, per liberæ quę in nobis est uolũtatis actionem, ad tres distribuitur: Nisi enim quispiam iustitiæ, locum seruare proposuerit, non recte in affectionibus temperantiæ, fortitudinis, ac appetitus rationem habuisse deprehendetur. Nam, pro affectionum arbitrio eligere, aut uelle quidpiam, id nostræ uoluntatis est; in nobis enim est, ut iusti, uel iniusti, studiosi, uel à studiis alieni, prudentes, aut insipientes reddamur. Siquidem, studium in re aliqua adhibere, ac in eo exerceri, nostri arbitrii esse, nulli non perspectum habetur; non quod studia ipsa habitus sint, sed quod ipsis dominantur. Nã studia, habitibus dominari manifestum habetur. Consuetudo uero, aduentitia natura est. Si autem studium habitui dominatur, quod nostri arbitrii est, & habitus nostri arbitrii sunt. Enimuero, quarum rerum nostro in arbitrio habitus est, earundem & actiones, quę ab habitu proueniunt nostro in arbitrio sunt. Siquidem actiones ad habitus recte accommodantur. Qui enim iustitiæ habitu pręditus

est, iusta operatur; & eodem modo, qui in iustitię, diuersa agit. Siquidem, quæ iusta ratione contingere possunt, perficere nostrę facultatis est: Verum, quod iusta ratione contingere potest, illud quod nos effice cere possumus est; Non aũt quod huic contrapositum habetur. Et quidẽ, mens nostra uoluntate primũ utitur, nam hęc actionum principium est. Et quemadmodum, uoluntas ipsa, eodẽ pacto & consilium nostri arbitrii habetur. Nã, uoluntatem ipsam, rerũ quę nostri arbitrii sunt appetitum, qui cum cõsilio fit, esse nõnulli statuerunt: & hęc quidem à triplici animæ ui proficiscuntur, quę unde nam proueniant, non multum post perspectum reddetur. Naturales autem, vitales, & animales facultates, ab his tribus proueniunt. Nam calor insitus, in corde cõsistit; Saguinis autẽ in iecinore fit constitutio. Voluntarius uero motus, à cerebro agit; quapropter, à corde ipso totum corpus nostrum calidum redditur; Ab humido uero cerebri, illud quod calorem emittit humectatur, inde fit, ut in compari ad inuicem diuersarum qualitatũ potestate, utrunq; incolume seruetur, dum non per caloris excessum, quod humidum est arescit; quódq; calidum est, humore exuperante nõ extinguitur. Quę uero tertia harum facultatũ est, distincta membra sua peculiari ui congressu quodã, harmoniáq; continet; cum ipsa propriis officiis usa, suis ea nodis adaptat, nec non spontanei, ac uoluntarii motus facultatem omnibus impartitur, qua deficiente, corpus uoluntario spiritu destitutum, remissum simul, mortiferúq; efficitur. Etenim, cum ossa sensus expertia natura habeantur, eadem natura ipsa, uel potius qui ipsi dominatur, eámque creauit, sensualibus neruis coaptauit, atque coniunxit: Et cum accõmodata connexione, cõcordiq; inuicem harmonia cõstringantur, & cohęrentiæ eorum ligamentis cõnexę sint, carne, quæ sensum percipere idonea est, ipsa circunsepsit, aliamq; robustiorem, & fortiorem per musculos, & ligamenta sub ipsa superficie complicuit; & his postremo cutem superinduxit. Cum igitur naturæ ipsius princeps, his solidis ossibus ceu columnis quibus=

dam pondera geſtantibus totius acclinaſſet corporis molem, non, indiuiſibili oſſe undique illud formauit, ne ſibi motus, actionúmque facultas interciperetur. aut, ueluti arbor uno in loco exiſtens, omnis actionis expers efficeretur, ut neq; pedum miniſterio adulteriora motum promouendo uti queat, neque manum ad ea, quę uitæ conducant officium ſuppeteret. Sed pedem ipſum in fœmur, genu, patellam, tibiam, talúmq;, & digitos partitus eſt; qui optimi artificis officio functus, oſſium denuo ligamentis conſerendo, adaptandoq;, mutandi loci, efficiendiq; operis idoneũ animę inſtrumentum ſtructura hac molitus eſt. Tale etiã in manibus, ceruice, pectore, ſpinaq;, & ſimul omnibus corporis partibus egit, quod, ob naturæ ſtudium quodpiam uoluntarii ſpiritus officio in qualibet parte concordi nexu copulata, exequitur. Age iam inſigne creatoris artis opus inſpiciamus. Nam quædam oſſa concaua, alia uero minime concaua, & quædam grandia, alia autem parua procreauit: Et aliis quidẽ medullam incluſit, alia aũt duræ, ſolidæq; naturæ, alia laxæ, ac imbecillis conſtituit. Nõnulla uero adnata appendice, alia ceruice prędita procreauit, et quędã unita, alia uero cõpoſita: & nonnulla coarticulantur, quædam uero de articulationibus copulãtur: alia inuicem coaptata, alia cõpoſita ſunt. quędã ſuturis, quædã harmonia coherent. Alia aũt ad claui modum infixa ſunt, nõnulla uero inuicẽ concluduntur. Sed et cartilagine quędam, alia neruis, alia carnulentia complicata ſunt. Siquidem, tota oſſium compoſitio σκελετὸς, quod aridum diceres, nuncupatur. Nam σκελετὸς locus ſicceſcens dicitur, quod apud Homerum eſt, qui ait, ῥύπῳ δὲ οἱ ἀγλαέος χρὼς ἐσκλήκει. Quod eſt, ſordibus huic corpus ſiccum aruit. Sed, quæ nam compoſitionis, dearticulationiſque oſsium nomina habeantur, à medicis ipſis quærendum eſt. Verum enimuero, ne legentibus quam plurima obſcure poſita negotium faceſſant. Sciendum eſt; quod os, quod ad claui modum oſſi infixum eſt, quod ἐγγόμφωσις dicitur in dentibus cernere eſt.

Sutura uero, quæ ῥαφὴ nuncupatur, in capitis ossibus uisitur. At γιγγλυσμὸς, coherentia est, qua ossa inuicem congredientia coniunguntur, ut in spinę uertebris, ac de articulatione quæ à cubito, ad brachium tendit conspicitur. Articulus quidem, ossium naturalis cō positio est, nam hic ἄρθρον dicitur. At σύμφυσις est, cum naturalia ossa simul uniuntur, & hoc coalescere diceres. ἐπίφυσις uero, alterius ossis ad alterum adiunctio est. At ἀπόφυσις, quod eminentiam, siue processum dixeris, in quolibet osse, uel in uniuersis cernitur. Os autem corpus dicimus, quod plurimum in se terrenæ portionis continet, quod & sensu caret, reluctatq;, ac durum est, reliquisque corporis partibus ceu firmamentum habetur. Enimuero, hęc uniuersa, à musculis, neruisq; mouentur, quibus item cerebrum motiuam impertitur facultatem. Nam venulis obsita membrana quæ cerebrum ambit, horum motus radix, principiúmq; habetur. Membrana autem, quæ gręce ὑμὴν, quia subtilissimi panniculi uicem prę se ferat, nomen adepta est. Hæc nanque cum recte consistit, totius corporis motus suis numeris absolutissimus redditur. Etenim, si pedis digiti particulā moueri contigerit, ab ea motam esse procul dubio scias. Si uero membranam illam quandoq; quati, uel scindi aliquo morbo, siue ictu causante acciderit, interitus affatim ab ipsa passione, ne tantillum natura repugnante, subsequitur, non secus, ac si fundamento aliquo conuulso, totā ædificationis molem cum parte corruere contingat; ita, & quę sub calua membranis continentur oblesis, quibus de quā asseruimus membrana prætenditur, corporis illius anima deficit. Tribus his igitur quas memorauimus facultatibus, quod cuique congruat, extrinsecus subministratur. Siquidem, alimenti gratia, ceu fonticuli sanguinis à iecinore scatent. Cor autem ab exto cui nomen pulmo, ob eius uiciniam spiritum mutuatur. Nam pulmo, arteriæ, quæ sibi acclinatur officio, aeris conceptaculum est, qui spiritum, qui respiratione ab exterioribus attrahitur, ad os perducit.

Cum in medio eius cor insertum consistat, quod instar perpetuo mouentis ignis nunquam desinente motu agitatur, dum eius caua præ sui extensionem spiritu replentur, quem ad se ab sibi adherente pulmone attrahit, illud, quod in ipso igneum est efflando, arteriis, quę illi proximæ sunt inspirat, & hoc quidem munus nunquam desituit. Siquidem cor, caua, quę in ipso sunt, in sui extensione spiritu replet. Idem, prę sui contractione in arterias eundem excernit, & hęc spontaneę spiritus reciprocationis causa esse in nobis manifestum habetur. Mens autē, tam etsi sæpenumero circa alia agat, quę oīo quiescunt, attamen, cum corpus nostrū in somnum resoluitur, aeris respiratio nō desistit; ipsa uoluntate, ne tantillum quidem in hoc cooperante. Cū autem pulmo rara quadam materia constet, & quamplurimis meatibus præditus sit, & cum quæque eius caua hiantia ad asperę arteriæ fundum contineat, cor, posteriore sui parte arteriæ adhęrens, & pulmoni complicatum, dum contrahitur, ac concidit, præ sui contractione spiritum, quem in cauis suis partibus continuerat, extra emittit: dū uero distenditur, reseraturq;, præ sui tractu, aerem sumit; & hæc (ut asseruimus) spontaneę spiritus reciprocationis causa habetur. Quam ob rem, si quando cordis calorem præter legitimum naturæ ordinem, tumore, uel dolore aliquo causante uehementiorem esse contigerit, in his qui ægrotant, magis assiduus, breuiórq;, ac concitatior quàm naturę exigat ordo anhelitus cernitur. Et hac quidem de causa, natura ipsa in affectis breuiorem, ac concitatiorem anhelitum efficit. ne, si uehemens ingruerit, uehementiores inferat ictus, & affecti grauioribus doloribus obnoxii reddantur. Concitatioris uero hęc causa habetur, ut quod de magnitudine detrahitur, cōcitatio ipsa corroget, quo festinantis cordis inflamatio, quæ in ipsum incidit, recentioris, frigidiorisq; flatus ui reddatur extincta. Siquidem, spiritus reciprocationem nonnulli naturę tantum officio prouenire non recte quidem rati sunt, sed tum naturę, tum animę officio prouenit:

Enimuero, naturale, cum animali consertum existit. Vis nanq;, à qua instrumenta mouentur animę est. Arteria uero, qua naturæ actio perficitur, naturæ instrumentum, & perpetui motus est. Siquidem vniuersæ partes, quę instrumentales nuncupantur, & quę neruorum, musculorúmq; officio motum peragunt, & animales sunt, & ad arbitrium nostrum perficiuntur, sola duntaxat spiritus reciprocatione excepta, quæ (ut asseruimus) cum utriusque particeps sit, inuito animali perficitur. Sed & corporis facultates, tum auctiua, tum uegetalis, quę naturales sunt, & pulsatilis etiam quæ uitalis, nullo nostri arbitrii ministerio indigent. Motus uero, qui cum impetu fit, & sensus ipse, ad animam refertur. Quod, nanque instrumenta spiritus reciprocationi inseruiant, & quot eius causæ, discriminaq; habeantur, in pręsentia missa faciemus. Verum, cum cor ipsum pulmonem post se positum habeat, illum eo pacto quo nuper asseruimus ad motum dirigit. Cum autem ipsum ex aduerso sinus superioris uentris consistat, calidum illum, atque ad propria munia peragenda mobilē reddit: non quòd ipsum quemadmodum & pulmonem ad spiritum atrahendum, sed quo congruum alimentum desumeret excitat. Cum cor ipsum, inter pulmonem, uentremq; medium consistat, alteri spiritus reciprocationis, alteri, quę ad alimentum attinent, facultates impertitur. Meatus autem utrorúmq;, ex pari ad os directi uisuntur. At qui pulmonis meatus est, aspera arteria, qui uero uentris gula nuncupatur. Quoniam uero uenter, concoctionis instrumentū est, (in ipso enim quæ esus absumit in succum uertuntur,) exemplo, quę in ipso fieri solent planissime demonstrabimus. Quemadmodum enim ex tritico cum molę adhibetur farina fit, dehinc ipsa aquæ admixtione in massam redigitur, qua in fornace decocta, & nos uescimur, & aliis impertimur. Huius quidem muneris, nostro in corpore simile quoddam cernitur. Siquidem cibum ipsum, dentium cōficimus officio, qui potu admixto in uentrem demittitur. Sed quoniam ipse

fornacis uice in concoquendo pane ad erum concoctionem plurimo calore indiget, cor, ab ipso, quo asseruimus modo, superne, ex aduerso situm optinens, calorem sibi affatim suppeditat. At qui & iecur quod calore preditum est, & à quo ceu fonticuli sanguinis scatent, penès se aluus continet. Sed & lien, non quasi calore sit preditus, (huius autem exti natura frigida habetur,) ipsi proximus consistit; Verum quia lien, venulis, arteriisq; refertus est, ab ipso uenter, nihilo deteriorem caloris portionem, quam ab aliis consequitur. Præterea, omentum etiam Gręci ἐπίπλοον, quod pinguis tunicula est, aluo undique obuoluitur, ne insitus calor qui in ipsam demissa alimenta conficit, exhalaret, dispergeretúrq;. huius gratia, & abdomen, quod græce περιτόναιον nuncupatur, quod aluum constringit, calefacitq;, ipsi aluo, intestinisq; obducitur. quanto.n.aluus, ob caloris uiciniam inflãmatior redditur, tanto magis, quæ ipsam aluum nutriunt ad se attrahit. Siquidem, venter, iecúrq; cõmunia quædam munia exequũtur, alter quidem materiam in succum redigit, iecur uero, ipsum in sanguinem uertit. Et uenter, succum ad iecur demittit. Iecur uero, quod accipit concoctum reddit, ac uertit in sanguinem, & ita uenarum ministerio per totum corpus diuiditur. facultas uero ipsa alterandi proprio conficiens, ac resoluens actu, sui officio utens, cuncta, quę constituta fuerant, ceu in fornace in qua æra conflantur, accedentem materiam componit; & si dum in uentrem descendunt, diuersis naturis ea esse contingat, in unam tantum formam succi conuertit. Enimuero, albus ille totus est, quòd uenter albus, qui & neruosus natura habetur. Succus autem illud non sapor est. Nam succus à sapore discrepat, Sapor enim, quod digestum, concoctũq; sit, at indigestum, inconcoctúmq; succus nuncupatur. Cum igitur uegetalis facultas, succum hunc per medias, & adiacentes venas diffundat, cumq; ipsa earũ officio ceu à fornace quadam æra conflante, illum desumat, meatibus qui subinde cõsistunt, impertitur, & illud, quod crassum est, à puriori di-

ſtinguit. Nam, quod ſubtile, & quod purius eſt, ad iecinoris ualuas, ad ipſum uidelicet iecur demittit. Tum calor, qui à corde ipſo germinat, cum arteriæ officio, quę adorta nuncupatur, & quæ prima arteriarum eſt, ad ingreſſum eorum qui exhibiti ſunt humorum, ad iecur conſtituatur, propria ſua ui humorem inflamando, ſucco ipſi ob illam qui ſibi natura inſitus eſt caloris cognationem, plurimum inflamationis, concoctionisq; iniungit. Dehinc iecur ipſum, uenarum quę in ipſo ſunt miniſterio, ab adorta uena totum puriſſimum, ac præcalefactum ſuccum exhauriendo, atq; ignito ſui calori efficiendo concolorem, ipſum, qui nuper albus, crudúſq; fuerat, rubeum reddit; & ita ſanguinis conſtitutio fit. Nam ſanguis, qui græce αἷμα dicitur. παρὰ τὸ ἐν ἅμμα εἶναι quod unum ſimul fiat, quodq; ligamentum quoddam corporis ſit denominatur: & hoc pacto iecur, cum tantum ſanguinis penès ſe, quantum ad ſui alimentum ſufficiat retinuerit, quod reliquũ eſt, ad totum corpus remittit. Nam ſanguis, qui circa cor exiſtit, intellectus hominibus habetur. Cum igitur ſanguis, hoc quo aſſeruimus modo conſtituatur, diſtillatur denuo, ac depuratur; Siquidem, quæ eius portio leuior eſt, ac ſurſum tendere ualet, (Quod quidem flauæ bilis excrementum eſſe ſuapte natura idoneum eſt) hanc, quæ felem continet, quæque iecinori proxima conſiſtit ueſica, ſuſcipit. Quod uero magis terreum eſt, & quaſi ſanguinis fex, liẽ ſuo peculiari meatu proprium alimentum ſumendo ſibi uendicat. Etenim quęque pars, cõgruum ſibi alimentum ſuſcipit. dehinc illud breui concoquendo, alterandoq;, ac in ſui naturam cõmutando, propriæ ſubſtantiæ applicat: & quædam à ſanguine, nõnulla uero ab excrementis hoc pacto aluntur. Igitur, cum lien à ſanguinis fecoſo humore enutriatur, ipſum à iecinore, ad ſe trahit. Ad hoc nanq; ſeroſa ſanguinis portio reſidua fit, quam renes præattrahendi facultate qua prędit ſunt deſumentes, ſanguinis humorem, qui exiguus admodum in eo ſupereſt exhauriendo, quod in toto aquoſum eſt excrementum, ad urinæ conſtitutionem

redigunt. Quid nam igitur urina ipsa sit, ac quæ eius discrimina habeantur, quæ colorum eius permutatio fiat, & qualis ægrotantium, ac recte ualentium corporum sit; res diuersi ab hoc operis habetur, hoc scilicet excepto, quod facultas, quæ distinguendi uim optinet, cum in renibus vrinā (ut demonstratum est) formet, præ ea quæ excernendi facultas in ipsis est, extra emittitur. Natura autem, lutulentam alimenti, stercoreámq; penitus fecem, patentia in intestina impellit, quæ, cum multimodis flexibus inuoluantur, alimētum in ipsis aliqua temporis intercapedine moratur, ne scilicet si recti eorum meatus fierent, per quos stercori peruius egressus pateret, animal ad cibi appetitū protinus moueretur, & homo (ut in natura rationis expertibus cernere est,) nunquam à tali opere cessaret. Siquidem, alimenti sicci excrementum stercus est, quemadmodum vrina, quę in vesicam demittitur, potus excrementum, serosa videlicet totius alimenti portio habetur. Enimuero, quod ex corporis alimento reliquū fit, & nobis nullius emolumenti est, excrementum nuncupatur. Vniuersæ nanq; naturæ actiones, cum anime actionibus consertę sunt. Et quo nam pacto naturæ, cum his, quę anime sunt Creatoris prouidentia conserta, cōmixtaq; habeantur, hinc denuo consyderandum sit. Quoniam enim, & illa quam asseruimus excrementorum emissio, quæ extra fit, facultatis est, quę excernendi uim optinet, quæ una naturalium facultatum habetur, ne ubi, & ne quādo dedecet, & quibus sub arbitris non liceat, in dedecus prolaberemur, musculos, ceu æditúos quosdam excretionibus natura adhibuit, quo ipsas præterquam extremo senio confecti, ac morbis quibusdam ingruentibus, multifariam, diúq; continere ualeamus. Postquàm vero, ea quæ asseruimus sanguinis constitutio, ac in totum corpus dispersio, cæteroriúmq; de quibus dictum est dispensatio, hoc modo perficiuntur, gemini quidam riui, stirpalis scilicet vena, arteriaq;, quę adorta dicitur, à corde, ac iecinore proficiscentes, sanguinem, spiritúmq;, quod cuiusq; peculiare

est (quoniam humidum cum calidi motu facili transitu meat) in phistulæ modum continent; Qui dum iunctim cum sanguine spiritum ipsum leuẽ reddẽdo graditur, riui ad totius corporis partes quę intus, extraq; sunt, multifido tractu, in inumera principia, rimásq; dispersi, ceu palmites, in venas, arteriásq; diffunduntur. Cum aũt sanguinis natura crassa habeatur, neq; ei ꝑ angustos corporis meatus, quia exiles venulę pilorũ vice in partibus cõsistunt, præ sui crassitudine penetrare facile detur, ipsi, aquosum excrementum adhiberi oportuit, quo eius gracilitatis causa, sanguini ipsi, per subtilia quibus ad pilorũ modum oẽs partes referte sunt uascula, per ipsa inquã, ac totum corpus (vt explicatum est) peruius iter reddatur. Cum aũt gemina vitalium facultatum principia cõmixta sint, quorũ alterum calorẽ à corde, alterum humorẽ à iecinore suppeditat, pręcipua ac maxime principali uitalis facultatis administratione, hęc largiuntur. Enimuero, purissima caloris portio, humorisq; quę subtilissima est, quęq; ab utraq; facultate mistella quadã, tẽperamẽtoq; medio, in unum coeunt, ꝑ vapores ad cerebrum procedentes, alunt ipsum, cõstituúntq;. Ad hęc, subtilissima rursus, quę ab eo emergit uis; membranã quæ ipsum ambit, quæ animę actionẽ suscipit, quæq; reticulare textum à medicis nuncupatur, demulcet. Siquidẽ anima ipsa, diuinũ quoddã, ac corporis expers habetur; in corpore hoc haud quaquã medio carens, sed instrumento, quod animę spiritus dicitur sequestro, refulget. Verum enimuero, spiritus iste, à corde, arterię quæ adorta nuncupatur officio, sursum emittitur, ac ꝑ reticulare de quo dicimus textũ quod cerebrum ambit procedens, cõcoquitur inibi, tenuatúrq;, ac ætheri ꝑ similis, simúlq; fulgidus, vt animæ splendorẽ suscipere idoneus sit, efficitur. Si igitur spiritũ hunc, illo reticulari texto crassiorẽ, turbidúmq; esse cõtigerit, non ideo, ne tantillum quidẽ animę substantia ab eo leditur. corpus vero spiritus uitio, neq; perspicue illustratur, neq; actiones suas ostendit, Si autem illum subtiliorem esse contigerit, corpus absq; impedimẽto

animę actionibus fruitur. Hac igitur de causa, qui excremētorū expertes fuerint, res præstantius animaduertunt, seq; in peragendis principalibus actionibus nobilius gerunt. Qui uero excremētosi sunt, et qui præsertim in concoctionibus præmuntur, eis ad ea quæ opus est peragenda facultas intercipitur. Cum igitur, à membrana ipsa quam asseruimus, omnis quidem articularis motus, cum concordi musculorum tractu, nec non uoluntarius spiritus, qui ad singulas corporis nostri partes delegatur, proueniat, terrenū nostri simulachrum, quòd artificio quodam mouetur, apparet. Hęc siquidem membrana per spinæ internodia, quæ recto ordine consistunt, à superioribus, ad ima progreditur, quæ una cum sibi insita medulla, ad spinæ ima terminat. Hanc autem veluti aurigam omnium ossium, harmoniarúmq; coherentiis, musculorúmque principiis impetum, facultatémq; mouendi singillatim impertiri constat. Hac de causa ipsam, tutissimo in loco collocandam fuisse merito existimandum est. Nam hęc in capite, sub duplici ossium ambitu circulari ordine complicatur; in dorso vero sub spinarum exortu, ac multiformibus anfractibus sita est, quorum causa, ob membranæ ipsius tutelam, cerebum ipsum nulli damno obnoxium redditur. Simile uero quoddam de corde ipso animaduerteres. Quoniam ipsum, vice tutissimę domus firmiori ossium ambitu munitum est. Spina quidem, quæ scapularum munimento connectitur, à tergo consistit. Cum vero constarum vtrinq; ex obliquo compositio adhibita sit, quod de medio est, ab omni passione exemptum redditur. Ex aduerso uero, tum pectus, tum coniunctio ossis, quod iugale nūcupatur, posita sunt; quo omni ex parte cor ipsum extrinsecus prouenientia incōmoda deuitaret. Interius aūt, à pulmone, dum ceu à mollissimo quodam cubili exiliens ipsum suscipitur, in saucium, innocuúmq; redditur. Cum pulmo spumosæ substantiæ, ac mollissimę carnis habeatur, cor medius suscipit, quo & pulsus eius acciperet, ac repercusso dolores neutiquam incuteret, utque ex eo quod

refrigeratione indiget, reſpiratione modice temperata refocilletur. Et quia uitalibus corporis actionibus remiſſione opus eſt, ne eius habitus contento labore obtundatur, natura ſomni reperit uſum, propter quem & ſanguis, cuius in iecinore fit conſtitutio facillime progeneratur, nec non alimentum, quod ab ipſo prouenit, abſq; impedimento ad omnes partes excernitur: Vnde fit, ut natura, poſt deſumptũ alimentum ad ipſum conficiendum, ad intima redigatur, compellatúrq;, & cum eodem inſitus, qui nobis calor eſt concurrat; in ipſa maſſæ conſtitutione, concoctioneq;, ſalubres quidam vapores procreãtur, (nam quæ concocta ſunt, ſupra ad cerebrum vaporum humorem emittere ſolent,) hi nanq;, qui ex humida concoctione vapores exhalarunt, ſupra efferuntur; à quibus cum cerebrum ſatis admodũ humectatur, caua eius, ab exuberantia caliginoſæ craſſitudinis, & ab eo, quod ad ſenſoria, ac neruos totius corporis diſtribuitur, oppilata redduntur, vitalem ſpiritum propriis in actionibus obtuſum efficit, vnde homo ab omni actione immunis, & ſimilis mortuo efficitur. Quapropter, affectio quæ hominem occupat, ὕπνος græce ſomnus videlicet nuncupatur, à græco ὑπονωσεῖν φρένας, quod animi ſeceſſum diceres; Siquidem, homine ſomno occupato, eius ſenſus, quo pacto aſſeruimus, cedunt. Nam ſopito etiam homine, naturæ ipſius actiones, & concoctiones, ſanguiniſq; procreatio fiunt; nec non alimentũ ad ſingulas corporis partes, ipſo animalis quo natura prẹditus eſt motus experte, facile progreditur. Siquidem, ſomnus, naturalium actionum taciturnitas, ac quies habetur. Si vero deſtributione, quẹ ad ſenſoria, ab ea quæ intrinſecus fit exhalatione procedit anguſtiis præcludi contigerit; vel ſomnus occaſione aliqua interciperetur, cum locus, qui neruis conſitus eſt, exhalationibus repletur, ipſi ſponte ſua naturæ ordine diſtenduntur. Nam, tum muſculi, tum nerui, calorem ſentientes, diſtendi cõſueuerunt, quo, præ ſui extenſione, ac dilatatione, pars, quẹ vaporum cauſa craſſeſcerat, ſubtilis redderetur, tale quippiã

in illis, qui pannos madidos uehementius torquere ſolent, aquæ exprimendæ gratia, cernere eſt. Et quoniam partes, quę ad guttur conſiſtunt, circularis formę ſunt, ipſas multiplicibus neruis obſitas eſſe manifeſtum habetur. Cúmq; ipſis craſſeſcentes vapores expellere neceſſarium ſit, muſculi, qui in ore ſunt, diſtẽduntur, ſeiungnntúrq;, & cũ omnia, quę intus exiſtunt circularis figuræ ſint, vaporoſam illam, quę partibus ipſis complicata erat craſſitudinem, ſimul cum ipſo, in oſcitatione egrediente ſpiritu, exhalant. Tale quoddam, à ſomno etiã expergefactis plerunq; euenire ſolet, cum eorum aliqua vaporũ portio, non decocta, nec emiſſa, locis in illis reliqua fuerit. Somni autem tempore, non modo concoctiones, ſanguinisq; procreatio, diſpenſationesq;, ſed reliqua etiam excrementa, conſtituuntur; Quorum, quæ craſſa ſunt, tenuantur, quę uero exilia, acerbaq;, moderate craſſeſcunt, ac in ſanguinem cõmutantur, & temperata fiunt, & tranſmutantur, nec non quę ſuperuacua ſunt, ad excretiorem diriguntur. Nam experientia, temporis optimus teſtis habetur. Cum primũ ſomno excitamur, tum ad humidi, tum ſicci alimenti excrementorum purgamenta ferimur. A ſomno etiam, morborum, ægritudinúmq; uis, atq; vehementia, obtundi ſolet. Quin, & animi ſollicitudines, doloreſq;, ſolari, & eſſe gaudii cauſa ſomnus nouit. Cum enim difficiles morbi, ad fœlicem valetudinis euentum mutantur, amicorum, cognatorúmq;, atq; familiarium, tum ipſius affecti, gaudium ſubſequitur, quod non ex propria noſtri uoluntate, ſed eorum quę acciderunt cauſa prouenire certum eſt. Qui enim valenti corpore vitam peragit, eiq; cuncta, quę oculis, auribúſq; animaduertit animum oblectant, nec ſibi quicquam aduerſi ſuſpicatur, gaudio afficitur. Qui vero, vel contumeliis inſecutus eſt, vel damnum ſentit, ſiue paupertate pręmitur, neq; illum vnquam ſpes lætioris fortunæ fouet: eum triſtitia affici neceſſe eſt. Nam riſus defluens, à gaudio naſcitur; à triſtitia vero, gemitus, & lachrymę progenerantur. Siquidem affectus animę,

qui voluptate caret, tristitia est, quæ cum græce λύπη dicatur, παρὰ τὸ λύειν, quod soluere diceres, ex eo dicta, quia oculos in lachrymas soluat. Siue à λυμαίνεσθαι, quod ledi explicares, quasi quædam oculorum lesio sit. Passio enim plena doloris, solutio animę est. Gaudium vero, affectum votorum compotem esse, quidam statuunt. Lachrymæ autem, quę græco nomine δάκρυα nuncupantur, οἷον δάκρυον τί ἐστι, quasi remorsus quidam sit. Nam lachrymę, à remorso corde proueniunt, hæ autem sic procreantur. Cum homo tristitia occupatur, quę animā contrahit, concussio quæ angustiam infert, quę intus sunt uiscera occupat, vnde plurima humorum exhalatio ad cerebrum tendit. Cum uero caua eius, exhalatione ex tristitia proueniente replentur, ad oculorum tunicas humor impellitur, & ad ostentationem inuiti motus disiectus humoris pondus, ceu cum nubeculę in rorem conuerti solent, ad ima tendit, & hoc pacto crassescentes illos vapores, in lachrymas resolui contingit. vnde flentes (ut magnus Basilius asseuerat) dum ipsis, quod cerebrum degrauat exinanitur, uoluptate quadam sub luctu latente, afficiuntur. Ex hac inquam quàm asseruimus uiscerum angustia, ac plurima exhalatione, cum & respirationis instrumenta comprimantur, sæpenumero ab ipsa natura, spiritus tractus violentiores emittuntur, quo his quę euenerant dilatandis suppetias adesset. Cui quidem accidenti, tristitię nomen impones; quapropter, gemitum, hoc, exhalationemq; nuncupamus. Anima nanq; ipsa, per hunc gemitum sese quasi reficit, ab illo ardore qui ob superuenientē tristitię mœrorem in corde crassescerat, atq; vicaria puri aeris in se ipsam admissione instauratur. Hoc enim pacto in nobis lachrymę, gemitúsq; constituuntur. Gaudium uero, exultatio uidelicet, quędam animę habetur, dum eam in his quę ad votum sibi succedunt, exhilarari contingit. Quemadmodum enim cum angimur, subtiles, & incertę meatuum respirationes, comprimuntur, atq; à uapore aperiente cerebrum, adumbrantur, animaq; ipsa contrahitur,

simulq;

ſimúlq; mœſta redditur. Eodem pacto, cum lætamur, corporis mea-
tus diffunduntur quodam modo, reſoluuntúrq;, & ipſi, cum plus ſoli-
to dilatantur, ſubtilis, calidúſq; inibi ſpiritus, ad intima demittitur,
ac denuo maiorem calorem adeptus, viſcera ipſa illum exuberantem,
eiuſq; calorem ſuſtinere nequeunt. Quapropter, dum natura facilem
ſpiritus egreſſum molitur, fumos ad cerebrum non amplius emittit,
ſed oris meatum dilatat, nec non præ feruida iecinoris concuſ-
ſione, motúq;, talem ſpiritum extra eiaculatur, nomen autem huic
rei riſum imponeres. Sunt qui hoc eſſe riſum definiant, motionē, quæ
in facie exiſtentes muſculos diſtendit, ſiue muſcularis dilatamenti 1
motum, qui à ſpiritus agitatione, ab intimis uiſceribus impellitur. Ri
ſus enim γέλος à grecis dicitur, ἀγελῶ, quod ridere diceres, γελῶ
δὲ παρὰ τὸ ἕλη, quod calorem ſignificat, interpretatur; Nam qui ca-
lore præditi ſunt, ad plurimum riſum propenſi habentur. Quoniā igi
tur triſtitia, gaudiúmq; inuicem diſcrepant, & quę ab ipſis in corpo
re ſigna eueniunt, diuerſa ſunt. Qui enim triſtitia afficiuntur, corporis
aſpectus pallidus, exanguiſq;, & ceu frigore, opreſſus conſpicitur.
Qui vero gaudent, floridum, rubeſcentemq; corporis habitum præ ſe
ferunt, quaſiq; anima ipſa exiliat, ac gaudium, quod intus præ volu-
ptate ipſa conceperat, ad exteriora perſpicuum reddere geſtiat. Quo 2
nam igitur pacto hoc animal gignitur, alimentúmq; ſumit, ac quot vi
tales, naturaleſq;, ac animales facultates ſuas in ipſo actiones oſten-
dunt. ac quo nam pacto mens per ſenſus agit; Quid triplex animæ
facultas ſit, nec non, quod virtutes quę principales appellantur, quæue
virtutis, ac vitiorum genera, quę ex ipſis proueniunt ſint: ſimúlq;,
quo nam pacto gaudium, triſtitiaq;, ac riſus, lachrymæq;, & ſomnus
conſtituantur, ſatis à nobis explicatum eſt.

DE CORPORIS PARTIBVS.

Reliquum eſt, vti de corporis partibus quę ſimplices, primæq;
nuncupantur, tum de illis quę ex ipſis compoſita ſunt; quæque 3

organica denominantur, nec non quibus nominibus censeãtur, ac quo nã pacto inuicẽ colligantur, tum quã ob causam talia nomina sortita sint, referamus. Dei uero in his item nobis est auxilium implorandũ, quo proposito nostro in horum conatu opituletur, ne scilicet sapientiæ eius opus deprehendere conantes, ab inscitia nos plus nimio, imprudentiaq; irretiri patiatur. Siquidem, qui supra vires quippiam moliuntur, in modicis etiam frustrari solent. Verum enimuero, in hoc conatu, minime quidem segnitiæ uacandum, desperandúmq; uidetur; Nam ipse est qui ait, qui petit accipit, & qui quærit inuenit, ac pulsanti apietur.

DE PARTIBVS QVÆ SIMI- lares, dissimilaréśque dicuntur.

PArtes, quæ nostro in corpore sunt, quędam quidem similares, quædam uero dissimilares habẽtur. Et similares quidem, simplices, & primæ sunt, vt sanguis, pituita, flauaq; & atra bilis. Hæc & corporis sunt elementa, ex quibus, ac cum quibus, cerebrum, membranę, musculi, nerui, medulla quę in ossibus est, ossa ipsa, dẽtes, chartilago, carnis in se conuolute duricies quod illi ἀδένας, nos tonsillas dicimus. ligamenta, cerebri panniculi, fibrę, pili, ungues, caro, venę, arteriæ, meatus, adeps, cutis, tendi, hi autem, quemadmodum & musculi ex ligamentis, venalibúsq; fibris compositi sunt: Et hęc quidem similaria, & prima habentur. Ex his, dissimilarium, & quę instrumentalia sunt, compositio fit, capitis uidelicet, pectoris, manuum, pedum, & eorum quę ex similaribus composita sunt. Etenim, omnes dissimilares partes, ex similaribus compositas esse certum est. ab his enim concinne, inconcinneq; composita corpora constituuntur. Concinnitas enim in his quatuor, figura, numero, magnitudine, atq; situ cernitur. Inconcinnitas uero, in his quę ab his, diuersa habentur. Enimuero, corporis pulchritudo, ex concinna membrorum compositione, si bonus color adsit, constat. Hoc autem fit, cum similares

partes, ſalubris temperamenti, ac inſtrumentalia ipſa concinne fuerint conſtituta. Virtutes nanque corporis, ſanitas, ac fortitudo, formaq;, nec non integritas, perfectio videlicet ſunt. Sed animę virtutes, prudentia, temperantia, fortitudo, ac iuſtitia ſunt. Siquidem, fortitudo corporis, concinnitas, ac robur eſt, quod his qui ad malam valetudinem procliues fiunt, repugnat. Virilitas autem, animæ fortitudo, ac robur eſt, quę graues meditationes, mortis uidelicet, formidinis, laboris incommodorum uoluptatum, ac uniuerſorum quę grauia, formidoloſaq; cenſentur ſuſtinere nititur. Iuſtitia autem, corporis pulchritudini ſimilatur. Sed pulchritudinem ipſam, in membrorum concinnitate cum ſalubris color aderit, contemplabere. At iuſtitia ipſa eſt, quando unicuiq; omnia pro dignitate largitur. Prudentiæ uero, corporis integritas ſimilis fit. Prudentiæ nanq; munus, ea quæ anima ſemel recte deprehenderit, perficere eſt; quemadmodum integritatis ea, quę ad corporis membra attinent. Sanitas uero eſt, cum tẽperate corpus ſalubre exiſtit. Sed bona habitudo, corporis extenſa ualetudo eſt. Nam pulchritudo, bonaq; habitudo, nec non integritas, ſanitatem ſecuntur. non illa utique pulchritudo quę ſubtrahi poteſt, illa uidelicet, quę in medicaminibus faciei, inficiendiſq; crinibus uerſatur, ſed quę cum ſanitate continuato ordine ob temperiem inſiti qui in nobis eſt caloris, ſimúlq; ſimilarium, inſtrumentaliúmq; partium, membrorúmq; conſtituitur. Verum, ſanitas ipſa, humorum qui in nobis ſunt bona tẽperies eſt, et actio naturalium, animaliúmq;, ac uitalium facultatum quę nullo impedimento fertur, cum et animę, & corporis mos, ſeu indoles parſpicua pulcherrime redditur. Etenim animæ mos, qualitas ſcilicet eius talis eſt, quæ fortiſſime in propoſito permaneat, & quę abduci non facile queat, conſtans, ſtabiliſq;, & in habitum ueniens. Eſt autem corporis mos, pulchritudo, perfectio uidelicet cuiuslibet partis, quã cernere eſt, cum corpus ab his quæ exuperant, ac deficiunt exemptum redditur. Deformitas uero eius eſt,

cum præter legitimum naturæ ordinem ſuperuacuum quid in membris, aut deficiens fit. Cuicunque enim pars aliqua exuperat, ut qui ſenis digitis prędituſ uiſitur, aut manu, ſeu pede mutilus exiſtit, ſiue alterius expers oculi eſt, uel alia quauis parte caret, deformis, inconcinnúſq; habetur, & hoc quidem eſt, cum corpus ſuis numeris minime abſolutum redditur. Sed & quę ad formam pertinent, verbi gratia; cum in aliquo diſtorti oculi, aut pedes conſpiciuntur, ſiue cum altera manus, alteram excedit. Et quod ad ſitum, perfectionemq; attinet, vt cum fœmur à iunctura extat, & manus ſcapulę adnectitur, ſeu in aliis membris quippiam tale fit; id fruſtratio nuncupatur. Eodem pacto, & quę magnitudinis ſunt, ut cum caput natura plus nimio magnum, aut breue fit; vel naſus, ſiue oculus, aut cũ totum corpus immane, aut puſillũ, ut gigantũ, ac qui nani, ſeu pumiliones appellãtur, alicui contingit. Nã, membrorum in nobis, quędã ad uiuẽdũ, quędã vero ad bene viuendum idonea ſunt; Et ea quidẽ quę ad viuendum idonea ſunt, cerebrum, cor, iecur, pulmo, venterq; habentur, quibus ob leſis, animal interitum patitur. Quę vero ad bene uiuendum, oculi, pedes, manus, aliæq; partes ſunt, quibus cum aduerſi aliquid euenerit, uitã animal non tamen recte producit. hac de cauſa Deus, præ nimia ſui cura geminata in nobis ſenſoria conſtituit, ut altero uitiato, quod reliquum eſt, ſenſus officia exequatur. Siquidem geminos oculos, totidemq; aures, meatúſq; qui olfatui inſeruiunt, in naſo conſtituit; Et geminam linguam vniuerſis in animalibus procreauit, ſed in non nullis bifidam, ut in ſerpentum genere uiſitur. in hominibus, conſertã, coherentemq; procreauit. Nam, tam etſi plurima ex ſenſoriis viciari acciderit, nullum tamen uitę diſcrimen animal ſubit; Tactu uero deperdito, ſimul & animal cum ipſo perit. Siquidem omne animal tactum habet, aliis uero ſenſoriis omnibus non omnia prędita ſunt, ſed quædã aliquibus, perfectioribus autẽ, omnia contigerunt. Enimuero, homo, tactum, guſtúmq;, exactiſſime ſortitus eſt, quibus alia animalia

exuperat. Tribus vero quæ reliqua ſunt, illis inferior habetur. Et aliud quidem animal, aliud ex ſenſoriis hominem uincit, canis uero tribus ſimul, auditu, viſu; olfatúq;, ut in his qui odore feras ueſtigant, cernere eſt. Non modo autem geminatis ſenſoriis rerum creator nos inſigniuit, ſed ipſa duplici ſenſu prædita eſſe uoluit, altero, qui eorum peculiaris eſt, altero tactus. Vt uiſus, ipſe enim tum colores diſtinguit, tum quę calida, frigidaque ſunt deprehendit, ſed hæc quidem qua corpus, colores vero, & quæ ſplendore prædita, qua viſus animaduertit. Enimuero, tactus, vtpotè qui maxime terrenus, ſupremæq; corpulentię præter alia ſenſoria eſt, quæ terrenę naturæ ſunt, comprehendit. Quæ vero aereæ qualitatis habetur, auditus miniſterio qui aeris particeps eſt dignoſcuntur. At à lingua, quæ ſpongioſæ cuiuſdam qualitatis eſt, ſapores, qui aquei quodãmodo ſunt, guſtus officio deprehenduntur. Siquidem, vniuerſa genera eorum quæ ſub ſenſum cadunt, peculiaribus ſenſoriis animaduerti ſuapte natura idonea ſunt. Hac igitur ratione, cum quatuor elementa ſint, uti & ſenſus totidem eſſent, neceſſe fuerat. Sed quoniam vapor, odorúmq; genus, inter aerem, aquamq;, medię cuiuſdam naturæ ſint, aere tamen craſſioris, aqua uero ſubtilioris habetur, hac de cauſa natura quintum nobis ſenſorium interius largita eſt. Quod uero, tum vaporum, tum odorum natura aere craſſior eſt, ex his qui narium muco, ſeu catharro laborant, perſpectum redditur, qui cum aerem attrahunt, vapores opilationis gratia haud quaquam ſentiunt, ſed diu ſenſoriũ à ſenſatis deprehendendis immune cõtinentes, perdurtã. Etenim ſenſus ipſe, alteratio non eſt, ſed qui ipſam alterationem deprehendit. Nam, quę ſub ſenſum cadunt, alterationi obnoxia redduntur. Alterationem uero ſenſus diſtinguit. Siquidem ſenſoria quinque habentur, ſed ſenſus unus eſt, qui animę habetur, quæ per ſenſoria ipſa affectiones quæ ipſis eueninnt, dignoſcit. Cum enim album inſpicere contingit, ex eo quod ſenſus miniſterio

deprehenderat, idem affectus animæ innaſcitur. Eadem itẽ ratio & de aliis ſenſoriis habenda eſt. Nam aliud ſenſus, aliud ſenſorium eſt, & aliud ſenſatum, aliud ſenſibile. Senſus igitur eſt animæ uis quæ agit; quam ob rem hoc pacto definitioni ſubiacet. Senſus eſt ſpiritus intellectualis, qui à principalibus, ad inſtrumentalia porrigitur: ſiue hoc pacto, ſenſus eſt animę uis, quæ ſenſata deprehendit. Plato uero ſenſum ipſum, facultatis, & inſtrumenti, hoc eſt animę, & corporis ad ea quæ extra ſunt cõmunicationem eſſe ſtatuit. Nam uis, animæ, inſtrumentum uero corporis habetur: Vtrunque enim per imaginationem ea quæ exteriora ſunt deprehendere poteſt. Senſorium nanq; inſtrumentum eſt, quod ſenſata deprehendere poteſt: Vel inſtrumentum aliquod, quod ſenſus quidam eſſe creditur. Senſatum autem eſt, quod ſub ſenſum cadit. At ſenſibile, animal ipſum quod ſenſum percipit. Senſus igitur eſt, ut verbi gratia uiſus; olfatus, auditus, guſtus, & tactus. Senſorium uero, ut oculus, naſus, lingua, & quæ reliqua, quę ſenſoria inſtrumenta nuncupantur. At ſenſatum; ut lapis, lignum, cunctaq; quæ cadere ſub ſenſum queunt. Senſibile autẽ, ut Petrus, Stephanus, Meletius; & reliquum omne animalium ſenſibilium genus: Agnouit enim (ut ſcriptura loquitur) bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Si uero rationis expertia hominibus ipſa præditis per ſenſum ipſum cõmunicant, recte quidem nõnulli qui diſſectionum hiſtorias perſcripſerunt, nec in corporis fabrica, neq; in oſſium ſtructura, uiſceriúmq; compoſitione ineſſe quibuſdã cum homine plurimum diſcriminis literarum mandarunt monumentis, quod magis in his quę paulo ante memorauimus animalibus patet; quandoquidem iiſdem ex elementis eorum corpora, quibus & hominum compoſita ſunt; parum admodum in ſimilaribus inter utrũque genus diſcriminis habetur, & ſi inſtrumentorum cõpoſitione inuicem, guſtúq; diſcrepent. Siquidem Deus, ad proprię uoluntatis arbitrium, pulcherrimo ordine in eorum quolibibet corpore

membra diſpoſuit.

DE HOMINIS CORPORIS Diuiſione.

HOminis autem corpus non unum membrum, ſed plura habetur. Et quoniam in caput, & pectus, & ſuperiorem, ac inferiorem uentrem, ſpinamq;, & lumbos, ac manus, pedeſq; diuiditur. Caput quidem cerebrum, oculos, naſum, aures, oris, hiatum, & quę in ore intus conſiſtunt, ut lingua, dentes, fauces gutturis, & quę particulatim nominantur continet. In pectore uero pulmonis, & cordis locus. Collum, clauiculam continet. Sed & coſtę membranam quæ ipſas tegit. Spina uero, uertebras, ac medullam. At lumbi, renes, & humidi excrementi, ſeu vrinæ receptacula. Superior uero uenter, in ſtomachũ, iecur, lienen, & ſuperiorẽ alui partem diuiduntur. Inferior uero uenter, in inteſtina, pinguedinẽ, excrementa, & quę ad pubes poſita ſunt. Manus, in brachium, humeros, cubitos, palmam, digitos. Pedes uero, in fœmur, genua, crura, maleolos, talos, ac digitos diuiduntur. Hæc autem omnia, & alia pleraq;, tum membra, tum partes, particulæq;, ac loca ſeparatim, & coniunctim nuncupantur. Veruntamen, maiora, plenioraq; deſcribendo, membra, minora uero, partes appellare ſolemus: Sed eadem pars, membri, partiſq; nomen ſubire ſolet. Exempli cauſa, caput, membrum corporis, ſed & partem dicimus. At capitis pars, occiput, mẽbrum uero eius oculus eſt. Prætereà, corporis mẽbrum, manus, eius uero pars digitus habetur: idem & in aliis dixeris. Enimuero, pars, quæ gręce μέρος à uerbo μεμερῖσθαι, quod partiri diceres, aliudq;, ab alio diſcrepat. Et quidẽ μέλη, quæ membra appellantur; inde ſcilicet ut reor denominationem ſumpſerunt, quod corpus noſtrum harmonica quadam compoſitione conſtituant, à modulaminibus citharæ, uel phiſtulæ aliorúmq; muſicorum inſtrumentorum translatione ſumpta, nam & ipſa, concordi quadam com-

positione constare certum est. Particulæ uero, quæ græce μόρια nuncupantur, εἷα ὅρια τινὰ ὄντα. quasi termini quidam diuisi, siue partium partes sint. Quodlibet igitur membrum, ex carne, cute, ossibus, membranis, neruis, musculis, venisq;, ac arteriis constitutum est, quæ à congruo (uti dictum est) alimento aluntur. Corpus nanq; nostrum, tribus dimensionibus, longitudine, latitudine, ac profunditate constat. Quod autem continet ipsum, cupulatq; superficies dicitur, quàm græci ἐπιφάνειαν à verbo ἐπιφαίνεσθαι, quod superne apparere diceres nuncupant. Et hæc quidem breuiter dicta satis habeantur. reliquum igitur est, uti de qualibet parte, cuius nam temperamenti, actionisq;, atq; usus sit, singillatim deinceps referamus.

DE CAPITE.



VONIAM uero mẽbrorũ quę in nobis sunt, caput primum est, vtpotè quod sensoriorũ officina, nec non suprema, eminentissimaq;, ac nobilissima, & maxime principalis corporis portio habetur, in qua principalis animæ pars regimẽ optinet. ex hoc enim principium sumere, eiusq; uim explicare, uel prudentiam potius, sapientiamq; Creatoris, & Dei nostri consyderare, atque hæc dicere necesse est. Magnus est dominus noster, & magna est potentia eius, & prudentiæ eius non est numerus. Age iam, & quę admirabilis Basilius asseuerat, oratione complectamur. Ille nanque inquit, cum Deus eminentissimæ corporis parti caput apposuisset, in ipso quàm plurima præclara sensoria collocari oportuit. Ibi enim uisus, auditus, gustus, & olfatus propius inuicem consistunt, ac cum breui loci intercapedine cõtineantur, nullum ex ipsis actioni alterius proxime existentis impedimento adest. Nam caput quod græce κεφαλὴ dicitur παρὰ τὸ κάρφεσθαι, ὅ ἐστι ξηραίνεσθαι, quod siccitate

præditum

prædittum diceres, appellatum est, cum siccum, osseumq; habeatur. A quibusdam λοσφὴ nuncupatur, διὰ τὸ καλύπτειν τὸν ἐγκέφαλον, quod cerebrum uelet, occultatq;. Alii ipsum ἀπὸ τῆς κυφότητος, quod gibbũ diceres appellant; Nã, quod circularis, ambientisq; figurę est κύφον, hoc est gibbosum denominatur. Sunt qui κόρσην οἷον κείρσην, ἀπὸ τοῦ περιχύσθαι, quod capillis integi diceres, Nã κέρας ipsi capillaturam dictitant. Siue illud κράτα nuncupant, ἀπὸ τοῦ κράτους, hoc est, à potestate ipsa, quod inibi principalis animę portio existat. Vel κράνιον παρὰ τὸ κραίνειν, quod regnare, seu imperare explicares, quod uidelicet ab ipso relique corporis partes regantur. Aut à uerbo κρέμασθαι, quod appensum esse significat, quia in ipso cerebrum appensum sit. Enimuero, cerebrum molle est, quasi ex spuma concretum quadam, humidúmq;, ac frigidum. Cerebrum autem quod ab illis ἐγκέφαλος, quia in capite quod ab ipsis κεφαλὴ dicitur consistat nomen adeptũ est. ἢ οἷον ἔγκρανος, quod in tabula sit, quæ κράνιον dicitur, nam eius peculiare officiũ in calua cõsistere est. Et quidẽ, sanguine, uenisq; caret. magis aũt ipsum calidis tẽporibus, qua frigidis oblectatur, cũ in frigidis humore repleri soleat, ob quæ, mucosos humores naris pro muscide excernit. Nã, mucus cerebri purgamentum est, quo principalis animæ pars quę in cerebro cõsistere dicitur leuamen sentit. Mucus, qui græce μύξα, ἀπὸ τοῦ ἐμυκτῆρος ῥεῖν. quod uidelicet ex naribus ipsis effluat nuncupatur. Sed & medullæ nomen cerebrũ optinet, quod μυελὸς dicitur, οἷον μυχελὸς, quasi quod, in intimis capitis moretur, contineaturq;. uel quod leui lubricúmq; sit, quod illi λεῖον dicunt. Siue quod in fatiscente osse consistat, quod ipsi μεμυκὸν appellant. Membranæ autem quæ ipsum tegunt μήνιγγες dicuntur, παρὰ τὸ μένειν, quod manere dixeris, quia in ipsis cerebrum positum maneat. Duabus siquidem figuris caput cernitur, altera quæ naturę ordine est, altera quàm φοξὸν dicunt. Et illa quæ naturę procedit ordine, in longũ porrectę sphęræ similatur, prominentius in occiput,

ſinciputq; tendens. Tribus illud ſuturis diſtinctum viſitur, una quæ coronalis, altera, quę gręcum Λ figuret, altera quæ in longum porrecta eſt. At omnes hæ tres ſuturę figurã quàm græcum Κ habet exprimunt. In acuminata autem capitis figura quàm φοξὸν nuncupant, cum occipitis eminentia deſtruitur, illa quæ gręcum Λ ſutura figurat unà perniciẽ ſentit, ſincipitis uero ſutura incolumis ſeruatur. Itaq;, ex ſuturis quę reliquę fiunt, ſimilis quędam figura græco Τ inſpicitur; & his quidem ſuturis maris caput diſtinguitur. Fœmina uero, una tantum circulari ſutura prędita eſt, quę orbiculata figura caluam ſignat, atque complectitur. His itaq; indiciis, marium, fœminarũq; caluas in monumentis facile diſtingueres. Siquidem, nõnulli ſacræ paginę interpretes, tres quę in maris capite ſunt ſuturas, trium quæ in diuinis ſunt perſonarum, patris inquam, & filii, & ſancti ſpiritus ſignificationem optinere opinati ſunt. Quæ coherentes, eademq; ſentiẽtes, illud procrearunt, Et uti ſupera contempletur formauerunt. Quod uero ipſe tres ſuturę in unum denuo coeant, ſubſtantialem, naturalemq;, ac unius potentiæ unitatem ſub una poteſtate repreſentãt. At illã quæ in fœminę capite una ſutura eſt, quę circularis habetur, Imperium quod comprehendit, continetq; uniuerſa ſæcula, ac poteſtatis totius orbis vnitatem, & uim diuinę potentię omni fine carentem repreſentare, ac figurare ſanxerunt. Et quemadmodum quæ ad intellectualem hominis figuram attinent, tria in utriuſq; tum maris, tum fœminę corporis conſtitutione, Mens, verbum, & ſpiritus reperta ſunt: ita & de ſenſuali eius natura dixeris. Etenim anterior capitis pars, frons dicitur, ab ipſis μέτωπον οἷον ὑπέρωπον. quaſi oculis imminentem partem dicas, oculos enim ipſi ὄπα nuncupant. Pars uero quę paulo ab ipſa frõte ſurſum tendit, ſinciput dicitur, quã græci βρέγμα appellãt. Quod aũt in loco illo cerebrũ ſatis admodum humidũ, moleq; ſit, ſupra oſtendimus. At mediũ capitis, vertex nuncupatur, qđ ab ipſis κορυφὴ, ὅτι τῆς κάρα ἐςὶ ὀροφὴ. quod capitis faſtigiũ eſſe

interpretareris. Quę uero capitis posterior pars est, occiput appellatur; quæ ab ipsis ἰνίον, quod descensum diceres, quia à vertice deorsum tēendat. Siue quod nerui inde oriantur, quos illi ἶνας dictitant. Nerui uero qui inde ἶνες dicti sunt, ὅτι τὸ εἶναι, καὶ συνεστάναι τῷ σώματι παρέχουσι, quòd esse, & constitutionem corpori tribuant, quoniam ipsum corpus ambiunt. de his, & apud Homerum legere est, qui ait. οὐ γὰρ ἔτι σάρκας τε, καὶ ὀστέα ἶνες ἔχουσι, quod est, non carnem retinent nerui nō amplius ossa. quę autem ad membranas partes utrinq; sunt, tempora appellantur, quę ab illis κρόταφοι, ὅτι κρούουσι τὴν ἀφὴν παλλόμενον, quod tactū exilientes quatiunt. uel quod ex pari pulsum utrinq; 1
edant, quod illi συγκεκρότησθαι dicunt. Siue quod capiti applicantur, quod illi κόρσιν dicunt, uel à κείρεσθαι, quod tondere explicares, unde κορσοτὴρ à tondendis crinibus tonsor nuncupatur. Totum autem os, quod caput ambit, inuicem pectinatim coeuntibus suturis, modo quo prius diximus diuisum est; per quas duplicato ossiū ordine, ea quæ ad cerebrum attinent, & cum illis cerbellum, quod & calua nuncupatur, distinguntur, quam solam hominem præter omnia animalia habere dictitant. Itaque caput, cuneale excepto, quod sphenoides illi nuncupant, sex ossibus constat; Anterior quod sinciput, posterior quod occiput dicitur. Quæ autem ad utranq; aurem adhibentur, lapi 2
dosa ossa appellantur. In eminentiori uero capitis parte, duo sincipicia sunt, quorum utrunq;, una in longum porrecta sutura communi inseruiente officio utitur. Ex his nanq; ossibus, quę sex numero asseruimus, ea quę ad sinciput posita sunt, molliora cæteris, imbecillioraq; habentur. At illud quod ad occiput locatur os, densius, ualidúsq;; frontis uero, medię inter utrunq; qualitatis habetur. Enim uero, ossium quę lapidosa diximus, pars quidem saxea est, pars uero ad osseam qualitatē laxiorem uergit. At cerbellum, eundem ortum quem & cerebrum, ac colorem habet. Alia autem sutura quę supra sinciput procedit, & ad ossa quę foliorum similitudinē præ se ferunt, 3

quæq; ad aures sita sunt desinit, cum in vertice findatur, inibi crucis effigiem figurat: per has nanq; suturas, exhalationibus quæ à stomacho sursum, aluoq; deferuntur, extra euaporandi peruium iter patet. Cerebrum autem duplici membrana comprehenditur, altera quidem ipsi ceu cubile substernitur, altera superne accumbit, quam reticulare textum medici dictitāt. Ossi quidem quod calua nuncupatur, musculi quos caluarios dicunt, obducuntur, hos quidem musculos, & membranas nominant. At qui in hoc item Creatoris sapientiam admiratione prosequi decet, qua nam de causa cerebrum ipsum tutelæ unius membranæ neutiquam, sed duarum crediderit, quæ vicissim propria sui dispositione vtuntur. Harum enim altera crassa, altera exilis est. Nisi enim à rerum opifice hoc pacto sub duplici membrana inuolutum, comprehensúmque, & ceu fasciis constrictum cerebrum esset, ab ossium contactu ob eorum duriciem, asperitatemq;, læsum iri illud credibile fuerat. Huius gratia, inter os, ipsumq; cerebrum, mediam exilem membranam constituit. Verum enimuero, membrana hæc, ipsa cerebri substantia paulo asperior, osse vero mollior est; quam si ab his quæ extra eueniunt quandoque ob lædi contigerit, ipsum iisdem passionibus obnoxium redditur. Hac itaque de causa, aliam crassiorem membranam de medio constituit, quæ cerebro longe crassior, asperiorque, osse vero ipso mollior est. Itaq;, cerebrum, sub utraque, exili videlicet, & crassa membrana medium consistit, quarum quæ exilis est cerebro applicatur, crassior vero ossi occurrit, quo minus ab ipso cerebrum damna sentiret. Verum, exilis membrana, non modo toti cerebro obuoluitur, verum etiam per media ipsius pergit. Et cum media eius vniuersa complectatur, substantiam illius vndique continet, ne præ eo qui in ipso est naturali humore dilabatur, ac profluat; Cuius rei mala quæ punica nuncupantur esse, exemplo possunt. Nam, tum grana quæ in ipso sunt, membranulæ quędam sæpiunt, tum totum malum ample=

ctuntur. Sic & in cerebro, ac in ipſa de qua diximus membrana cernere eſt: hæc autem ſimilitudo & in calua uiſitur, quæ galeæ qua in bello vtimur ſimilis eſt, & eundem ſitum, ac colorem habet. Quemadmodum enim galea ipſa circulari formata ambitu, toti quod intus eſt tutela, munimentúmque exiſtit, ita & calua, cum eandem formam præ ſe ferat, cerebrum ſub ſe ab omni labe reddit exemptum. Vnde cerebrum quod in capite ſit ἐγκέφαλος denominatur. Non enim calua ipſa ſingulo oſſe conſtat, ſed diuerſis oſſibus diſtinguitur, quæ diſcreta ad inuicem neutiquam, ſed conſerta ſunt, & ceu fundamento quodam coherent. Si, quidem ipſa vno continuato oſſe conſtarent; Cum primum ipſam vna ex parte iacturam pati contigiſſet, oſſis continuatione totam læſum iri credibile habetur. Ad hæc, cum totius corporis exhalationes ad caput, quod eminentiſſima ipſius pars habetur, tendentes abſumi neutiquam contigiſſet, his interpellatis, caput ipſum, pluribus excrementis quibus immune eſt premeretur, vaporibus cerebro ſi oſſa continuarentur negotium faceſſentibus. Hæc propter, ſuturas in ipſo (vt prius dictum eſt) rerum opifex conſtituit, quo ab eo quæ ſuperuacua ſunt abigerentur, capútque ipſum una cum cerebro ab omni labe immune fieret. Qui igitur exiguo capite præditi ſunt, flagitioſi cerebri indicium oſtendunt. Etenim breue caput habentes, præ eius breuitate, priuantur facultate perficiendi ea, quę magnum caput habentes perficiunt. Cum itaque vniuerſæ corporis noſtri actiones cerebri officio perficiantur, (ipſum enim eſt ut modo expoſui quod ſenſuum actiones dirigit) ab ipſo omnibus corporis partibus motus ſuppeditatur. Quippe qui, ſi extremum in pede digitum moueri acciderit, illum ſanè à cerebro motum eſſe certum eſt. Cerebrum enim ipſum, hoc, animali calore medio operatur. Nam, cũ ſibi ad hęc perficienda ipſo plurimo opus ſit, cum exiguum caput eſt, paruum inſtrumentum plurimi ſpiritus capax eſſe neutiquam poteſt.

Itaque, cum breue caput angusto spatio comprimatur, in eius angustiis animalem spiritum demergi, extinguiq́;, & cum eo vniuersas quę ab ipso fiunt actiones contingit: in summam igitur, exiguum caput, paruum perpetuo habetur: Magnum vero non semper probum, sed aliquando probum, quandoq́; uero prauum est, utpotè cum illud natura magnũ, sed non cum ex morbi alicuius causa euenerit. Si enim præ optimæ materię exubarantia, aut robore facultatis quę eius loci peculiaris est in magnitudinem erigetur, tale naturę ordine rectę consistit. Si uero materiæ prauæ exuberantia parui modum excesserit, tunc improbum, morbisq́; obnoxium fiet. Et hæc (ut asseruimus) cerebri gratia facta sunt. Nam, ad illud quod comprehenditur, illius quod comprehendit, naturam conditam esse constat. In hoc etiam, maximam rerum conditoris curam consyderes, quanta cerebro ipsi munimenta adhibendo, securum constituit. Non enim ad eius tutelam, securitatemq́;, quas asseruimus membranas, quibus inuoluitur, comprehenditurq́;, & ossis custodiam, tegumentúmq́; sufficere ratus est; sed ad hæc ipsi exterius pilis refertam adhibuit cutem, ne ab aeris mutationibus damna subiret, doloribúsq́; pręmeretur; & vti caput pilis obtectum sit, hęc quam diximus causa habetur. Ad hæc, fluxuum excretiones, capiti vt principi parti rerum opifex largitus est, ne scilicet si excrementa intercepta forent, plurimis casibus obnoxium redderetur. Quemadmodum igitur in alui excrementis nobis perspicue patet. Etenim, si excrementum quod ab ipsa emittitur concoctũ fuerit, recte ipsam concoquere dicimus, si uero in concoctum, non recte; Ita & in cerebro uisitur; ab excrementicia enim eius materia, actiones ipsius nobis perspicue fiunt. Hoc autem, non modo suturis quas prius diximus, sed naso, auribus, oculis, purgamenta excernit: Ad hęc item ea parte quam græci φίμα, vel χώνην, quod à plerisque infundibulum nuncupatur, ad eius enim similitudinem naturę opifex illud constituit. Illam enim partem infundibulum appellant, eo quod

ab ampliore tractu, incontractiorem meatum desinit. Quoniam, tum caput, tum cerebrum, nec non totum corpus nostrum, pluribus musculis obsitum est, horum actiones, officiiq; functionem, quam vnà cum cerebro peragunt, prius diximus. Tale enim ipsi, cerebro officiū exhibent, quale aurigę in regendo curru frena sufficiunt. Quemadmodū enim in curru auriga inspicitur, tum & lora ipsa quæ à freno dependent quo equi alligantur cernere est; sed & equi in eo uisuntur, eodē pacto, corporis nostri habitus constat. Cerebrum quidem aurigę uice fungitur, nerui vero lori officium explent, pro frenis musculos constituas, Equi, reliquę corporis partes habentur. Enimuero, cum primū corpus transuersum circumferre, seuretrahere, siue in anteriora mouere contigerit, cerebro ipsi nerui quos lora diximus huiusmodi officio inseruiunt. frenum vero, cum trahentia se lora sequatur, partes ipsas illum qui primitus mouet, sequi subigit. Hinc igitur patet, quod musculi ipsi freni vicem cerebro explent; sed & ipsi motiuam actionem perficiunt. Medulla autem quę dorsi appellatur, quasi effluxus cerebri quidam est, & ceu riuus à fonte profluens effigiatur. Fons quidem (vt ita dixerim) circularem figuram præ se fert, riuus vero tractu in longum porrecto fertur. Quoniam igitur hæc dorsi medulla cerebri pars est, hanc ab ossibus spinæ compręhensam esse cernimus. Has autem vertebras, vti & medullam ipsam naturæ procreare necessarium extitit, & hac de causa cōmunicationem quandam cū ossibus naturalem optinet: Nam ad naturam illius quod comprehēditur, & illud quod comprehendit procreatum esse certum est. Age iam quo pacto proprium quoddam, peculiareq; totius corporis ossa ad dorsi vertebra optinent, inspiciamus. Vertebræ enim omnes coherentia originem à spina trahunt: quam eadem proportione ad totum corpus nostrū respondere, qua nauis carinam ad vniuersa quę ipsi affixa sunt ligna, censendum est. Et quemadmodum necessitate quadam ligna ad carinam, siue magna illa, seu parua fuerit iusta proportione referuntur,

ita & de spina dicere possumus: Nã quale illa ad costas, talem etiam & coste ad scapularum ossa tenorem seruabunt. Tum, ad scapulas, brachium, vlnæ, & radicale os, ossaq; in quę manus extrema desinit; pręterea iliorum ossa, spinę ipsi inferne applicantur. Illis vero fœmora dearticulantur, & tibię, & sura, & pedis ipsius ossa. Siquidem pedibus ipsis neruorum, musculorúmq; ministerio, qui maxima Dei prouidentia, atq; consilio à cerebro motum capiunt, mouendi facultas súbministratur. Nã musculi, quos græci μῦας à verbo μύειν dicunt, id claudere interpretareris ob id ita appellantur, quia propria sui munia exequendo clauduntur. hi nanq; præ sui contractione, & ad sibi prescripta principia extensione, partibus quę ab ipsis mouentur, motum tribuunt. Sunt qui eos ob id musculos dictitant, quod in exile desinunt, tum ad animalis neruos similitudine respondere creduntur. Sed & cum neruis ipsis proportione conueniunt. Nam quemadmodũ nerui, qui ab illis νεῦρα παρὰ τὸ νεύειν πρὸς ἑαυτὰ, quod in se ipsa innuant nomen sortiti sunt, sic & ipsi eadẽ quę & musculi agunt, uel musculi potius idem quod & nerui. Vt enim neruus quod innuat (ut diximus) nuncupatur, ita & musculi quod claudũtur, appellati sunt. Non enim musculorum substantia simplex, sed composita est; nam ex fibrarum, carnosaq; substantia, compositos constat. At fibrę, quędam à neruis, nonnullę verò à nodis, siue à ligamentis fiunt, quibus, natura ipsa, ne damnis facilius obnoxiæ reddantur. Sed ceu in stratis quiescerent, carnosam substantiam contexuit, quo præ immenso motu ad siccitatem redacte, ex carnis humore suppetias adesse sentirent. Sunt qui quęrant, qua nam de causa, caput hominis globi figura, non autem triangulari, vel quadrata, aut acuminata, uel in coni modum protensa sit? Ad quę, tribus rationibus respondemus: quarũ una est, quod talis figura magis quàm aliæ passionibus in peruia habetur. Nam quę in angulos desinunt, à quibuslibet quę obuia feruntur acumen ipsorum obtunditur, & facile frangitur. Altera est, quòd

qui mensurandæ terrę scientiam profitentur, circularem figuram omnibus aliis, siue in tres, siue quatuor, aut sex, plures'ue eundem ambitum continentes angulos scindantur, capaciorem esse demonstrarunt. Nam cum Dei prouidentia animaduerteret, caput constituendũ fore, vti in se cerebrum, & ab ipso membranam crassam, exilemque, nec non reticulare textum, septemq; neruorum copulas, & sensoriorum sedes, oculos videlicet, aures, nares, & quę intra os consistunt, ad hæc & caua quæ ventriculi dicuntur, tum spiritum ipsum, qui animalibus actionibus inseruit contineret; talem figuram ipsum obtinere debere optima ratione censuit. At tertia quidem qua Plato ad Timæum ludit ratio est. Quoniam inquit naturę ipsi cura adhibenda fuerat, constituenda partis, in qua anima, mensq; propriam sedem contineret, ne ipsa à supero circulari cœlesti tractu ad inferiora tendens, peregrinum locum, & sibi dissimilem occuparet, figuram ipsi cœlo comparem destinauit. Hoc autem philosophus inquiens, animarum ex corporibus, in corpora migrationem hac opinione tuetur: Tum, animam in principali parte, non autem in toto corpore consistere nugatur, argumentum sumens, quod animæ priores corporibus sint. Nos autem, caput circularis figuræ nõ modo decoris gratia (etenim, in sphærę formam fornicatę ædes conspicatiores in longum constructis ædibus, ac visum magis oblectantes sunt) sed ut mentis actio rectius procederet, creatum censemus. Nam partem, quæ in summo totius corporis constituta est, & circulari figura prędítam esse oportuit, & vt illud quod imperiũ optinet inde comprehendi possit, quo mens ipsa optimi rectoris instar in gubernaculi cacumine residens, totum corpus regeret, ac tueretur, nec non & sensus ipsos in promptu haberet, quandoquidem inibi subinde (ut magnus Basilius asseuerat) & sensus, vt visus, auditus, olfatus, gustúsq; locantur. Ad hęc, & oculi in eminentissima parte, ut in specula sedẽ occuparunt, ne ulla corporis partiũ ipsis ex aduerso sese obiiceret, sed

paruo quodam genarum obiectu imminentes, à superiori eminentia ad rectum dirigantur. Et hęc de capite dixisse sufficiant.

DE OCVLIS.

QVoniam singillatim quodlibet corporis membrum recẽsendo; prudentiam creatoris nostri Dei obstupescere, admirationeq; prosequi merito decet, cum iam de capite diffinierimus, & oculorum compositionem, actionesq;, atq; vsus, & appellationes, nec non tunicularum numerum, ad hæc & humorum quantitates, pręterea, quę nã sint quæ oculo substantialia insunt, demum, quę ipsi euenire per accidens solent, explicare aggrediemur. Nam eius substantialia, temperamentum frigidum, aut calidum, siccũ, uel humidũ habentur. At eius similaria, molle, vel durum, aut quod facile, uel difficulter mouetur, dicimus. In toto vero oculi instrumento hoc consyderandum est, si magnitudo excesserit, uel moderata fuerit; si cum formatur, in ipsa oculi constitutione concinnitas, inconcinnitas'ue extiterit. Item, si actiones eius perperam, vel recte diriguntur. Nam cum calidę qualitatis, aut frigidæ oculi fuerint, hoc pacto deprehendes. Qui enim calidi sunt, latiores, & perspectiores quę in ipsis sunt venę cernuntur: Qui uero frigidi sunt, venę inipsis ocultantur, ac latent. At siccitatis, humiditatisq; eorum indicia ita deprehenduntur, cum duricies in eis, uel ariditas, ac mollicies, ac humiditas perspicue fiunt: Verum, molles, humidosq; oculos, facile cognosces, at duros, & aridos non admodum facile, sed ab his quę extrinsecus eueniunt, animaduertimus. Sunt qui in fumum incidentes, auertuntur, ac plurimis lachrymis opplentur, alii vero in fumo ubtutu libero utuntur: Sed oculi quos fumus lædit, humidi, ac passionibus obnoxii facile sunt, alteri uero duri, à passionibusque remotiores habentur, & hęc oculorum substantialia indicia sunt. Quę uero ex accidentibus indicia proueniunt, hoc modo co=

gnosces, si oculi magnitudo, aut exiguitas congrua, uel econtra fue-
rit. Nam si magni, & congrue dispositi oculi fuerint, materię optimi
temperamenti copiam indicant. Si autem magni, & incongrue dispo-
siti erunt, id ob materiæ exuberantiã, facultatisq; imbecillitatem, quẽ
admodum de capite superius dictum est, prouenire putandum est. Si
uero paruus, sed rite consistens oculus fuerit, bonę materiæ, sed ino-
pis indicia prę se fert. At qui paruus, sed inconcinnus fuerit, tum ma
teriæ indigentiam, tum facultatis imbecillitatem arguit. Quę enim de
oculorum temperamento, ac figura, magnitudinéq; dicenda fuerant,
hęc habentur. Sed & de colorum qui in ipsis visuntur diuersitate cau 1
sas scrutabimur. Siquidẽ nõnullos nigros habẽtes oculos, alios cæsios,
quosdã uero fuluos inspicimus. Neq; enim latere nos decet, oculos ip-
sos, tũ plurima nomina sortiri, tũ esse pluribus ex partibus cõpositos,
quódq; tuniculas, alii humidas, alii uero siccas habent. Sed uti nobis
de eorum nominibus, numerisq;, & exortu, necnõ usibus, & actioni-
bus planum constet, ab hoc subinde principio ordiemur. Sciendũ qui-
dem est, quod gemini à cerebro nerui protenduntur, qui à græcis ὀπτι-
κοὶ, quod uisui uidelicet inseruiant, nuncupantur. Primum quidem
huic sensui, cerebrum ipsum hos neruos, postmodum toti corpori imper
titur: sed inter hos, corporisq; neruos hoc interest, quod corporis nerui 2
solidi, nec caui sunt, hi uero fistulares, terebratiq; sunt, quo uisibilis
spiritus per hos, ceu per aqueductus ad oculos penetraret. Hos igitur
neruos in oculi thalamos ingredi manifestũ habetur. Thalamus enim
oculi penetrale, in quo tunice coeunt, lumenq; consistit, nuncupatur.
Thalamus siquidem, quasi thalpamus, vnde & iuuenes in
thalamis degunt; decet enim florentes corpore, non qui extincti calo-
ris sunt in thalamis coire, ut Hesiodus. ὡραῖος δὲ γυναῖκα τεὸν ἐπ' οἶκον
ἄγεσθαι. Quod facit, sed tempestiuis thalamis sit nupta paranda.
Nerui autem in thalamos ipsos finduntur, ueluti si quis papyrum in exi
les membranulas incidat, findatq;, & rursus complicet, & tuniculam 3

conficiat ad reticuli similitudinẽ, quo ad pisces capiendos vti solemus; & hęc prima oculi tunicula habetur. Ab hac alia est, quę vualis appellatur, ex eo quod grano vuę similis sit. Et quemadmodũ in vua, quæ interne sunt densiora, quæ uero extra consistunt leuia uisuntur, ita & in vuali cernere queas: Hæc enim à membrana quę exilis nuncupatur, pullulat. At corneum oculi inde appellatum est, quod cornibus similitudine respondeat. (nam album illud est) tum quod in extrema cacumina ut cornua desinit, eorúmq; discrimina imitatur. Tunicula autem superior, à membrana quę calualis dicitur, processum quendam habet, qui à crassæ membranę portione quadam per suturam grecũ Λ exprimentem, & coronalem de quibus prius diximus egrediente, originem ducit. Tunicę igitur quas explicauimus, tali usui accõmodantur. Illa aũt quæ retis textum imitatur, totius corporis oculi interne firmamentum est: At superior eiusdem robur exterius habetur. Inter has duas, alię totidẽ positæ sunt, altera cornea quæ supiori exterius applicatur, altera uero vualis, quæ riticulari interne adheret. Vualis quidem usus est, uti, cum raræ texturę sit, sese ad pupillam extendat, quo uisibili lumini per eam extra egressus pateat. Sed & aliter etiã, vuale ipsum uisui conducit, eo quod crystallinum oculi humorem fouet; Quapropter, illud densum, spongiosúmq; natura protulit, ne pupilla ipsa aliqua ex parte læderetur; tum etiam, uti plurium venarũ capax fieret. Præterea, cum vuale tale (ut diximus) existat, ideo, ne uisibilis spiritus egressum interciperet, terebratũ est. At exterius, densum natura constituit, ne scilicet oculi corpus absumi pateretur, sed potius, cum illud in coloribus, plus nimio distrahi, ac contrahi accideret, laboranti adesset suppetias. Cum, oculum album, atq; nigrum esse cõntingat, si in res plurimi candoris inciderit, pariter distrahitur, dissipaturq; ; in ea uero quę nigra sunt incidens, contrahitur, ac cõgregatur. Ceruleus uero oculus, cum inter utrunq; colorem cõmune quoddam possideat, ad moderatam temperiem oculũ ipsum redigit, atque

demulcet. Corneum siquidem oculi hac de causa factum est, uti pupillæ orificium stringat, sepiatq;, quominus humor per ipsum defluat, qui uisibili spiritui extra egredienti negotium facesseret, & hac de causa, præ lucidissima substantia corneum constitui oportuit. Et quemadmodum in corneis lanternis lucernę accensæ, nihil à cornu corpore impedimenti sentiẽtes, proprium lumen extra emittunt, ita oculi corneũ, cum translucidum sit, uisibilis spiritus facultatem neutiquã intercipit. Huius gratia, tunica quam superiorem diximus, totum corneum haud quaquã cõplectitur, sed dum ipsum circulariter constringit, comprehẽditq;, unam tantum eius portionem circularem relinquit, qua uisibilẽ spiritum extra eiaculetur. Quod autẽ corneum natura album sit, hoc nobis argumento est, quia cum densatur album fit, ipsum enim, in his qui albis sunt oculis præditi, densum efficitur: Verum non sui natura, sed vualis gratia quod sibi subiectum est, à quo cum color eius adulteretur, nigrũ esse uidetur. Duas igitur tuniculas, corneam, & superiorem, albas esse constat: Nigræ uero totidem, reticularis, vualisq; sunt. de earum itaq; origine, ac numero, coloreq;, nec non quas appellationes sortiuntur, satis explicatum est: Restat, uti de humoribus oculorũ quibus ipsi sunt præditi disseramus: Hoc enim tres esse numero dicimus. Primus quidem vitreus humor est, qui in medio uisibilis meatus consistit, unde nerui sparsim positi reticularem tunica constituunt. Hic autem humor vitreus nuncupatur, quòd præ sui fluxu tum colore, tum constitutione vitrum effigiet. Ab hoc alius, qui crystallini nomen optinet humor est, inde uidelicet, quòd glaciei quæ à græcis κρύσταλλος dicitur, similis fit. A quam nanq; frigore concretam, glaciem rectè dixeris. Talis siquidem humor, glaciei ipsi, coloris, constitutionisq; similitudine respondet. Hic autem humor, dimidiatus cum vitreo humore, ac uicissim transfixus confertur. Tertius autem humor oculi oualis dicitur, quòd subtili quę in ouo est, & candidæ parti similis est. Et quidem, humor vitreus, duplici usui ac-

commodatur: Nam, cryſtallino tum ſuperne obducitur, tum ipſi alimentum ſuggerit. At oualis præterquàm quòd cryſtallinum ob aſſiduas actiones ſicceſcentem madefacit, propugnaculum etiam eius eſt, ne ſcilicet in ambientẽ aera repẽte incidens, ab ipſo aliqua ex parte lederetur. Talis inquam oualis humor, ſubtilis, & aereus habetur, ſic ut uiſibili ſpiritui per pupillam procedenti nullo impedimento ſit. Cryſtallinum uero humorem, medium duo reliqui humores, ac cũ his de quibus diximus tuniculæ ſuſcipiunt. & ipſe eſt, qui uiſibilis potentiæ partes, & quę primitus operantur obuius ſuſcipit. Enimuero, uiſibilis qui in oculis eſt ſpiritus, à cerebro ad cryſtallinum fertur, & duplicem officii functionem explet, alteram quidem, uti oculum plenum reddat, eiq; iuſtam magnitudinem imperciatur, & plurimam diſtantiam efficiat, quo oualis humor, non paulatim, ac per partes cum ambiente aere vniatur, atq; conueniat; Alterum uero, quo cum uiſibilis ſpiritus extra è pupilla eiaculatur, viſibilium rerum ſubſtantias, coloreſq; eminus etiam deprehenderet: præterea etiam, uti oculus ipſe ea ad cryſtallinum ubi talium uſus eſt alterata reddat, atque traiiciat: Verum, ea, cerebrum regis uice diſcernit. Tamen, & hoc ſcire opus eſt; qui exiguam à primo ortu pupillam ſortiuntur, hi acutiore viſu, quàm qui grandiores habent, prędití ſunt: Quoniam, cum viſibilis ſpiritus per regulam extra eiaculetur, nec ſparſim (quod maiori pupillę euenire ſolet) hinc, inde fertur, ſenſata ipſa lõgiore item diſtantia poſita accurratius comprehendit. Præterea: quo nam pacto niger, albúſque, ac omnes alii colores oculi fiant, conſyderare oportet. Albus itaq; oculi color, genere quidem duabus de cauſis, ſpecie uero quatuor fit. Nam genere cryſtallinus, oualiſq; color cauſa eſt; Quæ autem ad ſpeciem attinent, una duntaxat cauſa oualis humor, criſtallinus vero triplex eſt. Et quidem, qua ad oualem humorem attinet, ſi ipſe plurimus, vel exiguus, ſiue purus, uel turbidus fuerit. Si igitur oualis humor plurimus fuerit, cæſium oculum efficit qui

modico admodum splendore præfulget, eo quod humor crystallinus, pupillaq; ipsa ceu in profundo posita, cernuntur: Cuius rei exemplum in stagno quopiam facile patebit. Nam, quæ in eius imò sunt, neutiquam à nobis cerni queunt. Tum si illum turbidum esse cõtigerit, coloris speciem aliquam suscipere nullo pacto potest. Quod, in turbidis, lutulentisq; aquis euenire cernimus: hæ enim puri luminis radiis impenetrabiles fiunt; Itaq;, cæsietas oculi qua ad oualem humorem attinet, tum paucitatem humoris, tum sinceritatem desyderat. Sed & à crystallino humore cęsius oculus fit, qui clarus natura, splendesq; est, ac totum illustrans oculum. Si ipsum crystallinum humorem non splendidum, & multum esse quandoq; acciderit, ex hac humoris copia, eundem totum splendor efficit, & cæsii oculi constitutio fit. Et si ipse humor, nec magnitudine, nec paucitate modum excedit; & oculi situm decenter prominentem esse contingit; atq; hac de causa cæsius, prominulúsq; cernitur. Si autem cuncta hęc quæ diximus aderunt, cęsius oculus procreatur. Cum uero his diuersa eueniunt, niger efficitur. Si autem ex his quædam adesse, quędam vero non adesse contigerit, horum omnes differentiæ oculorum efficiuntur. Quod cæsius oculus vberiore lumine quam niger præditus sit, hoc causæ habetur, quia primę substantiæ quę magis exiles, ac fulgentiores, nitidioréśq; sunt; solaris luminis inflnxu repletæ, lumen ipsum quo ipse undiq; plenę sunt, cæteris substantiis ad solis similitudinem impertiuntur. Cum igitur nobis de oculis scrutari visum esset, quę ipsi substantialia insunt, quæ'ue ex accidentibus prouenientia sint, tum tunicularũ ortus, quibúsq; ipse nominibus nuncupentur, nec non qui eorum numerus sit, & quo nam pacto reticularis tunica, & superior, vualisq; venis refertæ, cornea vero ipsarum expers habetur; ad hęc item earum vsus perspicuos reddidimus. Sed, nec quot humores habeantur, quotq; eorum colores, actionesq; sunt, & quę nam vitrei, crystallini, oualisq; habẽtur missa fecimus. Præterea, de visibili spiritu quod à ce

rebro progrediatur, quódq; duplicis vtitur officii functione, causa à nobis satis explicata est. Nam, tametsi spiritus ab omnibus corporis partibus naturæ nutu, atq; obsequio quo earum usibus inseruiat usquequaque contineatur, nihilo tamen secius, eum qui in oculis est ob quas adduximus causas cerebrum subministrat. Sed quoniam cuncta hæc quæ disseruimus uti totius instrumenti ministerio sufficiãt creata sunt, alia madefaciendi oculi gratia, quædam, suggerendi alimenti, nonnulla securitatis causa, alia quo pupillã ipsam custodiant, creata censemus. Decet vtiq; nos admirabilem Dei sapientiam mirantes prudenter cum Propheta precari; Custodi me domine ut pupillam oculi. Quis non facile persuasum habeat, ipsum prophetam; cum animaduertisset oculum tanta, taliq; esse tutela fulcitũ, hoc carmen cecinisse.

ITEM DE OCVLORVM finibus, ac aliis quibusdam.

AGe iam de oculorum finibus, & quo nam pacto nuncupantur, ac unde nomina eorum proueniant, disseramus. Tales inquam oculos esse opinamur, qui quatuor tuniculis, ac tribus diuersis humoribus constituuntur, quiq; neruos in se contineant, & qui obiectos sibi colores, rerúmq; magnitudines, nec non figuras deprehendere queãt. Non modo oculi ipsi hoc tantum, à grecis nomine ὀφθαλμοὶ appellantur, sed aliis item nominibus eos illi dicere consueuerunt. Quidã eos φάη, ut apud Homerum est, nuncupant. Alii ὄμματα dicunt. Alii ὄσσε. Alii ὦπες. Et ob id eos illi ὀφθαλμοὺς dixere, ἀπὸ τοῦ ὀφθῆναι παρέχειν ἅπαντα, quod omnia uisui peruia reddant; aut quod oculorum thalami ex quibus uisus emicat sunt. ob idq; ab aliis φάη dicti sunt, quod ex ipsis lumen quod illi φῶς nuncupant progrediatur. ἢ ὅτι φωτὸς διακριτικοὶ, quod uidelicet discernendi luminis uim optinent. ut Homerus, κύσε δέ μιν κεφαλὴν, καὶ ἄμφω φάεα καλά.

καλά. Quod facit, Hic capiti, ac pulcris oculis simul oscula fixit. Quidam, ob id ipsos ὄμματα, dixerunt, οἷον ὅρματα, καὶ αὔρματα, quod ex ipsis uisibilis spiritus cũ impetu fertur, & idem qui in oculis est per ipsos exit, atq; eiaculatur. Æolico autem idiomate ὄπια, quę circa oculos sunt appellare consueuerunt. Sed & Homerus oculos ὄσσε plerunq; dixit, quod ad sibi subiecta recte dirigantur. Illi nanq; εὔσσειν, καὶ εὐθυβολεῖν dictitant, vnde Homerus ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην, quod est; Illaq; fulgentes oculos ceu flamma ferebat. & rursus, κείνου γὰρ τοιοίδε πόδες, τοιαίδε τε χεῖρες quod facit, Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat. Ab aliis ὦπαι παρὰ τὸ ὀπὴ à foramine denominatos constat. Nam ὀπὴ proprio nomine terebratus locus nuncupatur, per quem nobis aliquid intueri facultas datur. Vt illud. θεοῦ δὲ ποπίζεο μῆνιν, quod est: Tu modo præ uisam circumspice Numinis iram. Pupilla autem oculorum κόρη, καὶ γλήνη, καὶ ἴλλοι dicitur, & κόρην, id est pupillam, οἷον χόρην ἐκ τοῦ δι' αὐτῆς χεῖσθαι τὸ ὁρατικὸν πνεῦμα, quod per ipsam uisibilis spiritus diffundatur dictam uolunt. At ἴλλοι ἀπὸ τῆς ἰλήσεως, quod inuolutos in se plures humores contineat. γλήνη vero, παρὰ τὸ τὸν νοῦν γαληνιοῦσθαι, quia mentem tranquillam ostendant, nam mentis dispositionem oculi indicant. Vel à lucendo, ut Homerus de oculo prauo ἔρρε κακὴ γλήνη quod facit, O lumen prauum pereas. Candorem quidem qui in oculis est, tunicam videlicet superiorem λογάδας ἀπὸ τοῦ λοξοῦ ab obliquitate uidelicet dictitant, ut Homerus. λοξὸν φησὶ τὰς λογάδας, hoc est, obliquum logadas nuncupat. Callimacus uero, ὅστις αὐγάζειν καθαρῆς οὐ δύναται λογάσιν. Quod est, qui puris oculis obliquus cernere nequit. Non desunt qui oculos dergmata dicunt, ἀπὸ τοῦ δέρκεσθαι, οἷον τὸ βλεπόμενον δέρχεσθαι. quod scilicet illud quod cernitur cõprehendant, perrerentq;. ὄψις & ὅρασις, quæ nomina uisum, & uisionem interpretareris inuicem discrepant. ὅρασις enim οἷον ὅρισις, quasi terminatio quædam sit, cum ipse terminos, ac corporũ fines com-

prehendat. Visionem uero ipsam ὄψιν appellāt, οἷον ἅψις τίς ἐστι, καὶ ψαῦσις. contrectatio uidelicet quædam, tactioq; est, quæ uisibilium animaduersionem peragit. At qui cutim ipsam quæ oculum tegit. βλέφαρον, καὶ ταρσὸν dicunt, quod palpebram, & tarsum diceremus. βλέφαρον enim διὰ τὸ προφαίνεσθαι, ἢ διὰ τὸ αἴρεσθαι αὐτὸ ἐν τὸ ὁρᾶν, quod primum ostendatur, uel quod in cernendo attollitur. Tarsum uero ob id nuncupant, quod carnis expers sit, quoniam & pedis dorsum tali nomine appellatur. de quo & Homerus. νῦν δέ μ' ἐπιγράψας ταρσὸν ποδὸς εὔχεαι αὔτως. Quod facit, nuc mihi perstingens tarsum in pede gloria quanta est? Quę autem circa ipsos pilatura est, βλεφαρίδες denominatur, hanc autem cilia dixeris, illa enim non modo decoris gratia oculis adhibita sunt, uerum etiam ut puluerem, festucasq;, & alia quę in oculos incidere solent, abigat, atq; amoliatur, ut nihil omnino sit quod eis negotium facesseret. Prominentiæ uero quæ oculis iminent, quibus pili in uersus ordinem radicātur; supercilia sunt, quæ ab ipsis ὀφρύες appellantur, hac de causa constituta esse, quo oculos ab hymbribus, sudoribusq; ingruentibus protegerent. In his autem defectus quidam qui in capillis neutiquam est inspicitur: nam capilli in dies aucti, tondentur, ressecantúrq;, horum uero, ac ciliorum ne visus vsum, oculosq; ipsos impediant, quod extremo confectis senio accidere solet, Verum opifex incremētum denegauit. Est autem & in ipsis oculis, sicuti colorum, ita & magnitudinum plurimū discriminis. Sed cum de coloribus satis à nobis dictū sit, restat, vti de magnitudinibus disseramus. Sunt qui magnitudine mediocritatem excedunt, quidam uero sunt, quàm expediat breuiores. Eos uero, qui medium quoddam inter extrema tenent, optimos usquequaq; putamus. Rursus, nonnullos ex ipsis natura ad interiora impegit, & hi maiorem circunferentiam quam eorum caua sunt designant. Quidam uero, quasi e sua sede prosilientes prominuli uisuntur. At alios, qui ad neutrum horum declinant, medium quoddam habere cerneres:

Tales enim, eorum in quibus uisuntur, præclaros mores denotant. Nam, homines qui oculos ad interiora retractos sortiuntur, acutiorem visum habere omnium opinio est. At magnis oculis præditos, & qui intento obtutu defixi hærent, instabiles, ac ad iram propensos dixere. At magnoculos, λιοφθαλμὺς nonnullis appellare placuit, quod in cernendo ad res ipsas plus nimio adhibentur. siue, quod obtutu in uno defixi impudentius hærere soleant.

DE MVSCVLIS QVIBVS *oculi mouentur.*

MVsculi, vnde oculis motus subministratur, sex numero habentur, quorum duo sunt, à quibus, cum à magno procedunt angulo, donec ad paruum desinant, totius oculi corpus circumagitur. Quatuor uero reliqui, recto eius motui famulantur, ex quibus duo sunt, quorum alter sursum extendit, alter uero oculum infra retrahit: Alii uero totidem, ad dextram, leuamq; ipsum mouent. Ad hos, & septimus est, quẽ roborãdi oculi gratia natura protulit, quo illi usui sufficeret, cũ nobis breue aliqđ corpus uisu accuratius deprehẽdere opus est.

QVÆ NAM VISVS DEFINITIO SIT.

VIsus est actio, quæ oculorum officio fit, quibus spiritus subtilis admodum commiscetur, quorúmq; pupillis insidet, per quem res eminus etiã positæ deprehẽduntur. nisi enim in oculis lumen existeret, lumen quod extra est cerni à nobis haud quaquã posset. Ipsum enim, visui uti solare hoc lumen comprehendat, facultatem largitur; et primum à visu ipso cernitur, aerisq; lumen rebus visibilibus circunfusum oculos ad sensata ipsa deprehendenda suscitat. Illud autem quod dat (ut Theologus esseruit) accipit. Plura siquidem Philosophi de visus actione scrutantes in medium attulerunt. Qui autem Epicuri sententiam sunt secuti, idola oculis nostris earũ quæ apparent rerum

obiici, idq; viſus conſtitutionem eſſe ſtatuerunt. Ariſtoteles vero, non idola ipſa corporea, ſed reſoluti aeris qui nos ambit qualitatem, quæ à rebus viſibilibus ad viſum uſq; accedit, uiſum eſſe opinatus eſt. Plato, cuius ſententiam Galenus ſecutus eſt, hunc qui nos aerem ambit, eo tempore quo cernimus, inſtrumẽtum oculorum, quemadmodum & cerebri neruum eſſe exiſtimauit. Solis nanq; ſplendor (inquit) ſuperiori aeris termino adhibitus, luminis uim in vniuerſum diſtribuit, partitúrq;: qui, ſpiritali ſubſtantia prꝺditus, per neruos qui ui ſui inſeruiunt penetrat. Cũ uero in ambientem aera incidit, & primo impetu in illo cui adhibetur alterationem efficit, tantundem tẽporis ſe ſe continẽs diffunditur, quo ad in corpus à quo repercutiatur inciderit. Viſus aũt per rectas lineas cernit, ſed & ea quꝺ translucent corpora ad imum uſq; penetrandi facultate prꝺditus eſt; & primũ, præcipueq; per totum aera nullo impedimento feri ſuapte natura idoneus habetur. Paulo minus in aqua pura, tranquillaq;, idem efficit. Sed non tantundem in uitro, & aliis quæ ſubluſtria ſunt corporibus ualet. Hæc ſunt, quꝺ peculiari iure viſus ſibi perpetuo vendicat. Eodem pacto, & colores, ut fuluus, rubeúſq; ſenſus propria ſunt. colores enim primaria ſui ratione uiſus deprehendit, deinde, & colore infectum corpus, eiúſq; magnitudinem, figuramq;, ac locum quo cõprehẽditur, ſimulq; quantum diſtet. Præterea, numerum, & motum, ac quietem, cumq; his quod aſperum, ac leue, & planum, inequaleq; eſt; tum etiã acuta, obtuſaq;, & quꝺ immota conſiſtunt: Et vtrum quid ad aqueum, & terreum declinat, dignoſcere facile poteſt. Vt enim à nobis colores deprehendantur, viſus tantum cauſa exiſtit, vt uero cætera, tum tactus, tũ uiſus eſt, quod ignis exemplo probari facile poteſt. Cum enim ignem primum nobis inſpicere contingit, quòd calidus ſit nouimus. Verum enimuero, ſi id quod primum inſpexeris conſyderes, tunc enim manifeſtum erit de coloris tantummodo ignis, figuræq; ratione nobis planè conſtitiſſe. Si uero & tactum adhibuerimus, illum, tum calidum eſſe,

tum comburendi uim habere deprehendemus. Sed nonnunquam accidit uisui ipsi, quo minus aberret, aliis sensoriis ceu testibus uti: quandoq; vero per se ipsum nullo cæterorum adminiculo res quę apparent animaduertit. Turris igitur quadratæ figurę, ī paulo remotiori à visu quā par sit distantia posita, rotunda videtur, maioraq; animalia, ac cuiusuis generis ædificia, breuiora: sed fallitur quidem. At qui, & illo tempore visus etiam decipi solet, cum remus ex motu aquę in mari fractus uidetur. Ad hęc, alicuius materiæ causa, ut ex speculi inspectionibus, ac aliis diaphanis quę videlicet translucent corporibus, uisus decipitur. tunc etiam, quando id quod cernitur, pernici, ac ocyssimo motu fertur; talis enim motus, ut in columbæ uelocitate fit uisum perturbat. At qui, ut visus ipse actu res comprehendere queat, quatuor potissimum habentur. Primum, uti sensorium ipsum ab omni labe immune sit; debinc modice temperatus motus, tum, ut loci intercapedo non immodica, & aer purus sit: adhęc ut lumen prælustre perspicuum appareat: Et hæc de oculis dixisse sufficiant.

DE NASO ET NARIS Promuscide.

NAres quibus olfatus fit, alio nomine nasi promuscis appellantur, & nares quidē græce ῥῖνες dicuntur, à uerbo ῥεῖν, quod fluere denotat, eo quod ipsis humor à cerebro proueniens defluat. Nasi vero promuscis, quam illi μυκτῆρες dictitant. inde nuncupantur, videlicet ἀπὸ τοῦ μυκτηρίζειν, quod subsanare est, quia illos quos deridere solemus muco dignos existimamus: siue quod mucus ꝑ ipsam quem illi μύξαν vocant egrediatur. Vel quòd in ipsis meatus quidā sunt, qui ab eis μύξαι, dicuntur. Nares aūt ipsas, neruis pluribus refertas, chartilagineásque esse planè constat: hæ & odores, ac eorum discrimina, utpotè quæ fragrantia sunt, & quæ graueolentiā habent deprehendunt. per ipsas itē, & spiritus reciprocatione vtimur:

Impossibile enim habetur, hæc aliter quàm narium officio fieri: Siquidem ipsæ, è promptuario & cordis intimis, respirationẽ pulmonis officio capientes, extra excernunt, & una spiritum exteriorem trahentes ad interiora demittunt. Olfatus quidem, impetus cuiusdam naturalis actionis est, qui à spiritu humido, & vaporoso in naribus existẽte perficitur, per quem ea quæ odorem reddunt, etiam procul deprehẽduntur. Et quidem, cum nasi pro muscis bifariã diuisa sit, atq; utrinq; vacua existat, medię cartilaginis interstitio diuiditur, quo spiritus reciprocationi (ut asseruimus) inseruiat, per quam ipsa nullo impedimento ingreditur, & egreditur, nisi ab aliqua egritudine nares ipsas obturatas reddi cõtingat: si enim ob ægritudinem talis affectio quandoq; acciderit, aeris respiratio non intercipitur. Verum odores ipsos vtpotè qui aere sunt crassiores sentire nares nequeunt: & hoc quidem quod diximus modo olfatus constitutio fit. Hic nanq;, qua anteriora cerebri caua sunt, ad ossa usq; quæ in angustum ad isthmi modum protenduntur, desinit. Non enim nasus, quemadmodum & alia sensoria nerui officio cum cerebro actiones suas deprehendit, sed ipsemet per foramina quædam sensum suscipit. Superior autem nasi pars cũ fronte continuatu osse bifariã diuiso coheret. pars vero inferior, chartilago est, quæ & alæ nuncupatur. Penès ipsum uero vtrinq; magni, paruiq; oculorum anguli sunt, quorum qui interne consistunt, magni, qui uero extra, parui nuncupantur. Hi enim anguli κανθοὶ ἀπὸ τοῦ κνήθεσθαι quod pruritum sentire interpretareris à græcis appellantur, cum plerunq; in ipsis ob lachrymarum effluxum, siue cum oleum, aut quemlibet alium humorem adhiberi accidit, pruritus sentitur. Enimuero, nasi diuersæ formæ uisuntur. Sunt qui re curuo sunt præditi, alii in latitudinem distracto; alii rotunda figura; quidam simum habent; in aliis acuminatus cernitur: in quibusdam ingens; in plerisq; paruus inspicitur: Hæc siquidẽ pars præ cæteris, hominis faciẽ formosam, deformemq; maxime reddit. Genæ aũt, quę & malę uocantur,

ab ipsis μύλαι conuexa ossa sunt, quæ cum temporibus coagmentantur. In horum autem ossium parte, omnes dentes præter illos qui secandi officio delegati sunt, ceu in laqueari inserti uisuntur. Male enim ob id μύλαι dictę sunt, quod lubricitatem, ac leuitatem quandam quemadmodum fructus plerunq; ostendunt. A quibusdam, ob rubedinem mali; ita & hæ nuncupantur. Hæ enim bonum corporis colorem, atq; illius qui in nobis insitus est caloris salubritatem representāt. Hæc autem pars & maxillę appellatur, quæ ab ipsis σιαγόνες dicuntur, ὅτι σείονται περιαγόμεναι ex eo videlicet, quod præ sui agitatione concutiuntur: uel quod ea quæ comeduntur congregant, quod συνάγειν illi dicunt. Siue quod nos clausas ipsas continentes, silentia agimus; quod ipsi σιγᾶν dicunt. Præterea, hæc itidem pars, cum superioribus labiis superior gena, inferior uero, cum barba, & mento nuncupatur. Et gena quæ infra est, ab omni animali mouetur, excepto crocodillo, & phenice aue, quibus tantū immota existit: superior enim in eis duntaxat, non autem inferior mouetur. Genam, hac de causa appellatam censemus, quod per ipsam, genera marium, fœminarúmq;, & qui perfectę ætatis, atq; imperfectæ sunt distinguantur: siue quod in ipsa dentes, piliq; gignantur.

DE AVRIBVS.

AVres autem chartilagineas, neruosasq; natura procreauit, quarum, voces, eárúmq; discrimina comprehendere officium est. Siquidem chartilago, ad strepitus, sonosq; percipiendos apta, idoneáq; habetur. Aures nanque ipsæ quę græce ὦτα nomen sumpsisse à uoce accipienda censentur, quam illi ὄπα nuncupant. Nam auditus, siccioris magis quàm subtilioris spiritus causa qui in auribus reconditus est, constituitur. Enimuero, aures interne rotundæ sunt, quas, compari figuræ osse in earum extremo existente prędita constat, in quod

ceu in uas inane, strepitus cuiuslibet uocis ingreditur. Et quoniam tale os, ad cerebrum vergentem meatum neutiquam continet, ipsum ad oris palatum natura adhibuit, à quo strepitus, venę unius ministerio quæ ad cerebrum protenditur ad ipsum fertur. A b illo siquidem loco, mens nostra audibilium rerum rationes, acutæq;, ac asperę uocis; sed & suauis, ac insuauis, necnon fragosæ; quæq; mali modulaminis est percipit, atque diiudicat; & ita per audibilem sensum, naturę rerum dignoscuntur, atque ut diximus diiudicantur. Non enim auditus ipse recto tramite (ut magnus Basilius inquit) directus fertur, sed strepitum qui in aere fit, ceu per anfractus quosdam flexuoso meatu percipit: quapropter, vox nullo impedimento ingreditur. Sed si sonus ipse aurium caua maxime perturbauerit, nihil eorum quæ extrinsecus proueniunt, sensus ipse percipere poterit. Concauum uero quod in aure est, alueare quod illi κυψέλη διὰ τὸ κύφον, καὶ κογχωειδὲς dicunt, quod concauum videlicet, conchiliatúmq; sit, quia uasis huiusmodi similitudinem habet. Auris nanq; ipsa ad cymbali modum consistere uisitur, quod natara ornandi capitis gratia produxit, ne scilicet eius figura passim rotunda existens, non modo uisui in iucunda, sed mutila etiam decurtatáq; uideatur. Sordes uero quę in auribus fiunt, ex flauę bilis exhalatione constituuntur, quę ab illis κυψελὶς denominatur. Ea enimpars, inquam extrema auris desinit, caruncula, non autem chartilago est. λοβὸς autem græce appellatur, παρὰ τὸ λόβειν, quod deturpare, uel abscindere diceres, nam ipsa ob scelera truncari solet; Quod & apud Homerum est qui ita ait. ὡς ἢ ἀπὸ ῥῖνα τάμνησι, καὶ οὔατα. quod est, Cui nares turpi pœna, truncantur & aures. Aures nanq;, in supinam, & profundam, atq; inter has mediam diuiduntur; Et quæ mediocritate quadam sunt prædite, ad auditum accõmodę precipue laudantur. Ex ipsis nanq; auribus, nulla morum significatio deprehenditur, præterquàm, quod paruas admodum, magnasq;, ac plus nimio eminentes, fatuitatis, loquacitatisq; indicia esse

plериq;

plerique statuerunt. Tum, ex signis quibusdam quę in ipsis uisuntur, uitæ diuturnitatem agnoscunt. Solus equidem homo, ac simia ex omnium animalium genere immobiles aures sortiti sunt, cum cætera uniuersa mobilibus vtantur. Quæ uero partes sub auribus sunt maxillę, græce, γνάθαι, καὶ χαληνοὶ dicuntur. Nam γνάθαι παρὰ τὴν γνάψιν, καὶ κάμψιν τῶν ὀστῶν, quod uidelicet incuruantur, flectunturque maxillę appellatæ sunt, ut Homerus: ἐπέγναψε γὰρ ἅπαντας ἥρη λισσομένη. quod facit, sed flexerat omnes Iuno suis precibus. χαληνοὶ, idest chaleni dicuntur, διὰ τὸ χαίνειν, quod hiare est, nam præ earū hiatu eius quod ad interiora demittimus fit comminutio. Pars autem 1
qua os tegitur, χείλη, idest labia denominatur, οἷον ἐχείλη, quasi quòd ipsum os teneant, & eius, dentiúmque ceu æditui habeantur. Siue inde dici ipsa labia uolunt, quoniam alimenta quę per ipsa sumimus in succum uertuntur, quem illi χυλὸν dictitant. Ipsa nanque labia, molli carne, uenosaque constant, & sunt in ipsis musculi quatuor, à quibus motus labiis cum genus aliquod idiomatis pronunciamus sub ministratur. Sed tria sunt, ex quibus substantiam labiorum compositam constat; Siquidem, vniuersorum conditor, cuticularem, sanguineam, & muscularem naturam desumpsit, atque & his simul cōmistis, vno quodā temperamento perfecto, labiorū corpus constituit. Iccirco, 2
cum ipsa scindi casu aliquo acciderit, neque aliter quod deest expleri possit, eas manibus comprimentes consuendo, coiri denuo subigere solemus. Pili autē qui sub naribus superioribus labiis inhęrent, græce μύσταξ, seu μέσταξ ἀπὸ τοῦ μεσοῦσθαι τριχῶν, quod pilis refertos esse interpretareris: & hęc quidem vulgo mustachia dicuntur. At qui, barba ipsa græce πώγων, καὶ ὑπήνη nominatur; πώγων quidem, quod in lanuginis egressu ætatis stabilimentum, quod ab illis πῆξις nuncupatur denotet. ὑπήνη vero, pili illi qui sub barba sunt dicuntur, ἀπὸ τοῦ ὑπῆναι, καὶ ὑποκεῖσθαι τῷ γενείῳ, hac videlicet de causa dictos constat, quod barbæ ipsi subiecti visuntur. Lanugo autem quæ ab 3

illis ἴουλοι pili ſunt qui primũ hominis faciem ueſtiunt, ab Iulo Verme, qui numeroſo pedum ordine fertur quem centipedem dictitant cognomen ſumentes. vel ἀπὸ τοῦ λέγειν, quod illos cum primum oriri incipiunt ad dicendum audentes reddant: illa enim ætas, effari quę deceant idonea, aptaq; eſſe incipit. In ſumam, totam hanc partem, nonnulli παρειὰ, καὶ πρόσωπον, hoc eſt, genam, faciemq; dictitant, ἀπὸ τοῦ πρόσω τοὺς ὦπας φέρειν, quod aſpectum quo anteriora proſpiciant ex aduerſo geſtent: quapropter, hoc faciei nomen, hominis naturę tantummodo congruit. cum in cæteris animalibus faciem dicere piaculũ habeatur. Gena autem παρειὰ παρὰ τὸ πεπερατῶσθαι, quod terminari diceres, quia ſub eo nomine non una tãtum ipſius faciei portio, quę ſupra uidelicet, infraq;, aut à lateribus eſt, ſed tota ſimul facies comprehẽditur, ac terminatur, ut Homerus. ὦχρος τέ μιν εἷλε παρειὰν, quod facit, Cui pallor totam faciem comprehenderat ingens; quibus verbis Poeta ipſe totam faciem permutatam, non autem partem innuit; quaſiq; naturalis color in eum qui pręter naturam eſt pallorem abierit. Siquidem, talis in hominibus pallor, legitimo naturæ officio neutiquam, ſed timoris, ſeu imbecillitatis gratia prouenit. Præterea, facies ipſa eſt, quę animæ affectus facile repreſentat. Cum anima ipſa lætitia afficitur, ſerena facies, hilariſq; apparet: in eis uero triſtitia, mœrorem, ac perturbationem præ ſe fert. Verum, cum ipſa ira excandeſcit, liuida, & ſanguine ſuffuſa facies, ſtupidaq;, nec non furioſa redditur. Quamobrem, ſacra in litera poſitum eſt, quod animi mores ex corpore, atq; ex facie ipſa effigiãtur, quę ſic ait; In cordis enim gaudio facies exhilaratur, cum uero ipſum triſte fit, demiſſa efficitur, & homo ira occupatus turpis eſt. Qui autẽ ad faciei ipſius ſitum accuratius ſpeculandum adhibuerunt, non modo ex facie ipſa, oculiſq;, verumetiam frontis, & narium forma animaduertentes mores hominum diiudicarunt. Nam immodica fronte pręditos, hebetis, obtuſiq; ingenii eſſe; parua uero, ac modica, ingenii acumine præditos, & ad

dicendum propensos opinati sunt. Frons autem amplius in latitudinem protensa, stupidæ mentis indicia pręse fert: Quibus uero orbiculata, circularisq; est pusillanimem, iracundúmq; esse arguit. At qui supercilia in rectum directa optinent, probis, mitibúsq;, ac piis moribus decorantur. Quę uero supercilia naso diffusim acclinantur, sic, ut appellari recurua queant, hominem duris moribus, stolidúmq;, atq; stupidæ mentis denotant: Verum, quibus ad tempora magis declinant, simulatores, rerumq; dissimulatores, ac subsanandi uitio laborare creduntur. Sed & oculi ipsi reconditos, abstrusosq; animi mores perspicue representant. Ex ipsis siquidem oculis, pauidos, fortes, amoribus implicitos, inuidos, in iram procliues, somniculosos, vigilantes, auaros, simplices, rectosq; cognosces. & uti cuncta in summam complectamur, ipsa oris uariantia signa, affectuum, mutatiq; animi euidentissimum argumentum sunt. Itaq;, clementissimi Dei benignitas, arcana ipsa humanorum affectuum, moresq; reconditos, talibus quos expressimus signis in propatulo constituit; quo propriæ saluti quilibet consulendo, fidelibus, probisq; moribus insignitis inhęreret, prauosq;, ac scelestos usquequaq; declinare queat. Idem sapientiæ Pręceptor nos etiam docet, cum ait, Cum homine iracundo non cohabites, neq; cum inuido comedas, nec abeas in consilium impiorum, atq; vanitatis; nec in cathedra pestilentiæ sedeas. Si uocauerint te ueni nobiscum, cum ipsis ne proficiscaris: hac de causa, Deus nobis ab ipsa facie huiusmodi homines deprehendendi facultatem dedit, quo eorum consuetudinem declinare ualeamus. Cum autem & Iacob ex facie Laban eius in se odium deprehenderet, ad vxores suas conuersus dixit, cognoui ex facie patris uestri non esse amplius in me qualis heri fuerat: Quod & Dauid sic inquiens innuit. Non auertas faciem tuam à me, & respice in me, & miserere mei. Solent enim qui nos odio prosequũtur, auertere à nobis faciem, qui uero amore, beneuolentiaq; sunt deuincti, lætum oris aspectum, hilaremq;, ac risu blandien

tem exhibere. Sunt qui ex dentium raritate, uitæ breuitatem: ex densitate vero, diuturnitatem interpretantur. Hactenus quidem de signis faciei satis dictum sit, reliquum est, vti de aliarum partium natura, compositione, nec non actionibus disseramus. Os autem secandi cuidam instrumento simile fit, quod ea quæ per ipsum immituntur, incidat, secetq;. Quæ vero in ipso intus sunt; hæc habentur, lingua, dentes, gingiuæ: & præsepia: gurgulio, palatum, tonsillę, guttur, aspere arteriæ, gulęq; extremum: & ligula. Siquidem, vniuersus oris tractus, gutturis fauces, & iugulus nuncupatur. Lingua autem uenis obsita sui natura, carnosaq;, ac pinguescens est, & quæ saporum discrimina discernere queat. Hæc item ad esum, potúmq; accōmoda habetur, uocique articulandæ obsecundat. Enimuero, os ipsum, linguaq;, ac dentes communia quędam munia explent. Os nanque ipsum secandi cibi, dentes uero molendi officio sufficiunt, lingua autem cibum ipsum dentibus quo ab ipsis conficiatur adhibet. Cæterum, linguam ipsam rerum opifex pluribus de causis, vel ad plures potius vsus, actionesque procreauit. Ipsa enim est, quæ deglutiendi ministerio inseruit dum præ sui inflexione cibus ad gulam dirigitur. Sed & ad idiomatum vsus eadem vtimur. Nam, cum verba proferre contendimus, lingua ipsa circum dentes quosdam sese explicando, incuruandoq;, & circumagendo, ac sese nunc his, nunc vero illis diuerso huiusmodi motu applicando, orationum discrimina literarum, syllabarúmque ad hoc compositione suppetente recte exequitur: & hoc quidem, qua soluta est peragit. Atqui, eadem, gutturi denuo colligatur, ne scilicet vndequaque abiuncta, in oris hiatum incidens, ab vniuersis quos diximus vsibus immunis redderetur. Verum, vinculum ipsum, illi pro freno est, quod si moderato ordine constitutum fuerit, uniuersæ eius actiones optimo fini, ac per composite diriguntur. Si vero illam partem laxiorem, remissioremq; esse contigerit, lingua ipsa plus iusto inclinatur. Cuius, dum eam regen-

di freno ipsi facultas intercipitur, actiones quas diximus, facile læduntur. Si vero rursus eam frenum plus nimio cohercuerit, inde damna hæc subsequũtur; labiis utique, parti videlicet, quę dum uerba pronunciamus mouetur, dentibúsque, ac toti ori, negotium facessit, & illa perperam propriis officiis fungitur idiomate vitiato. Lingua autem, carne laxa, fungosaque constat, vtque protinus saporum gustum animaduertat, hoc causæ habetur. Saporum vero qualitates quæ gustus sunt, hos dicimus; Dulce, acidum, acre, acerbum, austerum, amarum, salsum, pingue: omnia autem hæc lingua ipsa, vel potius acumen eius, quod gustus instrumentum est, discernendi facultatem optinet. Huic officio simul cum lingua, palatum, communi ministerio sufficit, in quo neruorum explicatio qui à cerebro protenduntur ea quę ad gustum attinent deprehendentes principali animæ parti denuntiant. Enimuero, Diuus item Basilius linguę ipsius naturam animaduertit. Et quo nam pacto ipsa mollicie sit prędita, ad flexúsq; facilis habeatur, quoq; modo uariis usibus cuilibet orationi sufficiat, ille accuratissime deprehendit. Ipsa siquidem lingua, tum amplæ, tum angustæ magnitudinis, sed & medię est. Cum uero latiorem fieri acciderit, dum oris meatum plus nimio repletum reddit, tardo, cessantiq; sermone, atque inarticulato utitur. At qui, eius forma angusta, breuisque existens, quod prę sui angustia, breuitateq; non satis commode dentibus initi queat, vitiato eloquio verborum usum explet. Media autem eius forma, omnium quas adduximus passionum, expers est, optimáq; habetur. Partem autem eius quæ supra est, ligulam dicimus, cui illud quod gula nuncupatur adhæret. Et cum dentibus molitum alimentũ ad interiora demittimus, arteria, quod à ligula uelatur, à suę actionis officio cessat, quę cum ab eo qui intus est spiritu sic existens moueri nequeat, tum ipsam, tum pulmonem protinus consistere accidit, quoniam cum ipsa spiritum edit, etiam ipsius successio ad caua pulmonis fertur. Pulmonem aũt ipsum

diſcrimina chartilaginea habere certum eſt, quæ contractim in acutum tendunt, per hęc enim ſpiritus in eius foramina penetrat, inde uero ad cordis intima reuertitur denuo. Nam, cum arteriam, pulſum videlicet (ut dictum eſt) ligula uelet, alimentum ab ore ad ſtomachum demittitur. Arteria nanq; ipſa, & alteria appellatur, ἀρτηρία quidẽ οἷον ἀεροτηρία, quæ quaſi aerem ſeruet, comprehendatq;, nam ſpiritus ab ipſa comprehenditur, continetúrq;. At ipſa item alteria dicitur παρὰ τὸ ἅλσειν, à ſaliendo, quod perpetuo moueatur, atque ſaliat. At qui lingua ipſa ab ipſis γλῶσσα dicitur, παρὰ τὸ κλώθω, à circum agendo, quòd dum ipſa circumagitur, articulatę vocis conſtitutio fiat. Vel ob id γλώσσα dicitur, οἷον γνῶσσα, quod uidelicet dignoſcat, comprehendatq; ipſa enim (ut nuper explicauimus) cuiuſlibet ſaporis genus quod eius peculiare habetur, diſcernit. Enimuero, hoc ſenſorium à tribus aliis diſcrepat, in eo, quod uiſus, olfatus, auditúſq; eminus, ac ubique ſenſibilia, quæ cuique accõmodãtur, animaduertunt: exempli gratia, uiſus ipſe, quæ plurimum diſtant proſpicere idoneus habetur. Olfatus, remotos à ſe odores deprehendit, & auris item eminus audit. Hoc uero ſenſorium, quod & de tactu diceres niſi admotis ſenſatis, in quibus ipſum agere ualet, agendi facultate fruſtratur. Sed, de linguę uſibus, actionibúſq; quo nam pacto poteſtas, quæ cuncta produxit tum ad uoces, atq; idiomata, tum etiam ad guſtum, atque edendi uſum reddidit idoneam, ſatis à nobis iam dictum eſt: Et hæc de lingua dixiſſe ſufficiat. Reſtat, vti de dentium compoſitione, naturaq;, nec non actionibus referamus. Dentes enim ſunt, qui ſecandi alimenti, conficiendiq; munus explent, & iidem articulandę vocis officio accõmodantur. Horum alii à ſecando cibo, ſecantes. Alii, à molendo, molares dicuntur. Sunt enim oẽs numero ſupra triginta utraq; maxilla ſexdecim ſuo in ordine continente. Qui uero quaterni utrinque anteriores exiſtunt, quos ſecantes nuncupant, ſingula tantummodo radice nituntur; At qui ab his duo utrinq; poſiti

viſuntur, canini appellantur, qui & ipſi unam, ſingulamq; radicẽ habent. Molares uero ſubinde ab utraque parte quino numero in ordinem diriguntur: & eos qui ex his ſuperioris maxillæ ſunt, natura triplici radice inſigniuit: Qui uero inferioris, geminam radicem habẽt. Quoſdam & quadrifida radice cernere eſt; Molares nanq; γόμφιοι διὰ τὴν καμπὴν dicti à flexu, ſiue curuatura nomen ſumentes, quod poſiti in recuruis maxillis uiſuntur. Hoc quidem inter dentes, aliaq; oſſa intereſt, quod dentes ſenſu prȩditi ſunt, hunc ſiquidem exacte optinent ob neruos qui ad præſepia in quibus ipſi radicantur declinãt: Sentiunt enim, cum in frigida plus nimio, ac calida inciderint. Sed & ciborum diſcrimina membrana cauſante deprehendunt, quæ non modo ſtomachum, & gulam, ſed & linguam ipſam, ac etiam dentes demulcent, atque perungit, & ipſos item ad humores excernendos excitat. Præterea cum omnibus oſſibus natura cutem, muſculoſq; obduxerit, nudi ipſi, omniſq; tegminis expertes uiſuntur. Ad hæc: annorum periodo non modo primȩ ætatis temporibus, uerum etiam quæ reliquȩ ſunt, & in ſenibus item concidere, ac denuo oriri memoriæ proditum eſt. Quidam autem raro ordine, alii denſo, nonnulli breues, paruiq;, alii ingentes conſtituuntur. Sunt & conchiliati aliqui, quidã uero recto diſpoſiti ordine, & huiuſmodi generis, non modo in hominibus, ſed etiam in aliis animalibus poſitos cerneres. Siquidem Ariſtoteles docet eſſe animalia quædam utrinque dentata: exempli gratia, Hominem, equum, aſinum, elephantem. Quædam uero ſerratis dentibus, ut leonum, leporum, urſorum, ac pantherarum genus. Alia continuatos habentia dentes, quorum pecudes; boues, capræ, dorcadesq; ſunt: Nõ nulla quȩ exertos ſortiũtur, ut Porcus, talpa, cæteraq; huiuſmodi quæ dentes exertãt. Sunt, qui molares dentes σωφρονιστῆρας dictitant, quod in ortu ſuo, prudentiæ percipiendæ tempora pueris adducant. Caro autem quæ ipſas complectitur, gingiua eſt, quæ οὖλον ab illis ob molem eius, teneramq; naturã appellatur. uel illa ἀπὸ τοῦ

εἰλεῖν, quod inuoluere diceres, nam continendorum dentium gratia, ipsis inuoluitur. Vel quòd cicatricem habeat vulneris, quod ex ortu dentium factum, & sanatum est, quæ grece οὐλὴ dicitur. Siquidem, medicati vulneris uestigium, cicatrix nuncupatur, unde illi οὖλε dicere solent, salue, uel uale. Sed & pilos ita οὔλις παρὰ τὸ εἰλεῖσθαι ab intorquendo, seu inuoluendo nominant, & οὔλας, καὶ οὐλοχύτας molam salsam dicere consueuerunt. Item οὖλος, ὀλέθριος παρὰ τὸ ὀλλύω, quòd pnicíosum dices, & ex eo quòd destruat deducitur. tales igitur gingiuas φατνώματα, hoc est præsæpia nonnullis dicere uisum est. ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, φάτνη, καὶ φάτνη. ab edendo uidelicet, quoniam ipsa pabulum animalibus suggerant. vel παρὰ τὸ πατέω, τὸ ἐσθίω, quod comedere diceres, ut Callimachus inquit, μήκωνα πατέοντα, idest papauer comedunt. fit etiam à κάπη ἡ φάτνη, qđ utrūq; pręsæpe significat, ἀπὸ τοῦ κάπτειν, quod est comedere, quod Aristophanes in Hippis cõmemorat, vel à κάπω, quod spiritū denotat, qđ apud Poetā est, ἀπὸ δὲ ψυχὴν ἐκάπυσεν, quod est, efflauit animā. uel διὰ τὸ καταπνέεσθαι, à respiratione ipsa ita appellatur. Gurgulio uero grece γαργαρεὼν, à medicis κιονὶς, καὶ σταφυλὴ, columella, & vuigena nuncupatur: & γαργαρεὼν dicitur gurgulio à sono qui in gargarismo peragendo fieri solet, quasi uox de sono factitia sit, σταφυλὴ quidem, quod vuam diceres, ab assidua distillatione nomen capiens; siue quod eius extremũ vuæ granum representet. κιονὶς, quod columella est, hac de causa dicta, quasi χιονὶς, idest niuositas, ob humidorum effluxum, quòd ὑγρῶν χύσιν efficiat. Siue quòd ad columnę modum per se ipsam in longum porrecta consistat. Est autem in gutture caruncula à columella dependens, quę ad spiritus perfectionem instrumentum est, quod uocis speciem reddit. Etenim palatum, oris superior portio, quod ab ipsis οὐρανίσκος, inde nomen sumpsisse credibile habeatur, quoniam ad Cœli quod οὐρανὸς dicitur, similitudinem factum sit. Partes uero, quæ illi proxime consistunt, interiores ad coli angusta uergentes

tes ὑπερῶα nominantur, has tabulatum diceres ab ædium tabulatu quod à terra in ſublime erigitur, quàm ipſi ἔραν dictitant ſimilitudine ſumpta. ut Homerus χείλεα μέν τ' ἐδίημεν, ὑπερώην δ' οὐκ ἐδίημεν. quod facit. Sed potuit labia, haud potuit tranſiſſe palatum. Hæc aũt pars, & guttur, quod ab illis φάρυγξ dicitur, à φέρω, ex eo quod inde ſpiritus feratur nomen capiens, ut Lycóphron, & Càllimachus Poetę teſtantur.

DE GVTTVRE.

MEntum, et guttur nos, græci ἀνθερεῶνα, καὶ λάρυγγα, ἢ φάρυγγα nuncupant. In hac parte ligula eſt, quæ ab illis ἐπιγλωττὶς, de qua prius diximus nuncupatur. Inibi etiam caruncula eſt, quæ hederę folio ſimilitudine reſpondet, quę cum media aſpere arteriæ conſiſtat, cum cibos deglutimus, eſculenta, poculentaq; in eam ingredi non patitur, ſed cum ſeſe reſerat, ſpiritus reciprocationis cauſa exiſtit. Itaq;, Anthereon inde dicitur διὰ τὸ θορεῖν τὸ πνεῦμα ἐκεῖθεν, quod inde videlicet ſpiritus proſiliat, uel quaſi ἀνθερών, hoc tantundem ualet, ac ſi obicen dicas, quod cibo, dum eum deglutimus ne in arteriam incidat, obſtaculo eſt. Guttur autem λαιμὸς, καὶ λάρυγξ dicitur, (utraq; hæc nomine tantum, nihil uero re diſcrepant, ſiquidem æqualia munia peragunt) παρὰ τὸ ἀπολαύειν deducta, quod frui diceres, ſiquidem, huius miniſterio alimentorum uſibus fruimur. At qui arteria ipſa quæ gutturi ſubiecta eſt, à pulmone ortum ſumens, cuius & meatus eſt, aſpera nuncupatur: quam, inde aſperam dici certum eſt, quod, à diuerſis ſubſtantiis, membranea inquam, chartilagineáq; cõſtitutionem ſortita ſit. Cum naturę opifex, arterię ipſi, diuerſa explere munia, ſpiritus videlicet reciprocationis, & formandæ uocis opus eſſe animaduerteret, duplici illam natura compoſitam produxit, ſed ad hoc præſertim, ut uocis uſui ſufficeret. Enimuero, uocẽ ipſam, ſolido alicui corpori, non autem molli impingi oportuit, quia hoc pacto ſine ſono eſſet. Si chartilaginea tantummodo natura arteria con=

staret, in uehementis uocis emissione, plurime simul extensioni, ac spiritus reciprocationi, sufficere neutiquam posset. Hac itaq; de causa, chartilaginem cum membrana composuit, quo, altera quidem ad uocis vsum sit, membrana uero respirationi accomodaretur. Hæc autem arteria, extrinsecus aspera, eius uero quod intus est, neutiquam tale, sed illa ex parte ipsam totam leuis admodum quędam membrana uelat, ne scilicet spiritus, qui uocis materia est, in rugas incidens asper redderetur. Ipsi autem gula quàm οἰσοφάγον græci appellant compacta adheret, qui meatus ad aluum tendit, per quem ipsi alimentum subministratur. inde οἰσοφάγον dictam ἐκ τοῦ οἴω τὸ κομίζω, quod videlicet aluo alimentum adferat. Et ipsa quidem neruis referta, & quasi intestino similis est. Sed & tonsillę, quę ab his παρίσθμια, faucium gutturis carunculę sunt, musculis, neruisque refertę παρίσθμια ob loci angustiam in quo consistunt, dictę, quòd isthmi similitudinem representent: Nam isthmos angustus locus est, per quem spiritus, intus, ac extra reciprocatio meat. Siquidem, capedo media, inter gulā, & asperā arteriam isthmos, dicitur, ἀπὸ τοῦ ἐσιέναι, quod per ipsum videlicet quæ esu, potúq; sumuntur intus ingrediantur, ac penetrent. Ad hæc autem tonsillæ, quę & παρίσθμια, καὶ ἀνθιάδες, quasi inuicem aduersantes sint dicuntur, Carunculę enim illę ex aduerso inuicem consistunt. Sunt qui eas, branchias dictitant, inde enim passio quę raucedo appellatur originem trahit. Etenim omnis humor, ex faucibus gutturis, & ex gutture ipso, nec non ex branchiis fertur. Branchię autem, carunculæ musculosæ sunt. Omnis itaque oris capedo, gutturis fauces, & guttur nuncupatur. Quod quidem magis intus uergit, guttur, quod uero exterius est, fauces gutturis recte quilibet dicere queat. Instrumenta autem quę uoci inseruiunt, hęc habentur. Gurgulio, guttur, aspera arteria: Pulmo, pectus, & nerui qui reciproco motu feruntur. Quæ autem ad uerborum, ac idiomatum usum accōmodātur; lingua, dentes, labia, nasus, palatum, ac gurgulio sunt;

gurgulio enim hic etiam accõmodatus eſt. Hoc enim pacto, vox ipſa formari ſuapte natura idonea fit. Poſteaquàm ſpiritus, à uaſis, à quibus ipſe recipitur expulſus fuerit, tunc cum ſonum uocis edituri uis, ad chartilagineas interius ſibi obiectas partes, quę circulariter tybialẽ meatum ambiunt, membrum repercuſſum uocis emittendæ gratia contenderit, dum ipſum ita per chartilaginea illa cacumina circunferri contingit; ſimilis quędam tybię ſonantis uox conſtituitur. Palatum autem, ſonum inferne prouenientem, geminis tybiis, in uacuo ipſo ad nares tendentibus, accipit, vocemq; ipſam chartilaginibus in anguli anguſtiis exiſtentibus, quę ſquammarum effigiem referunt, præſcindens, ſoni uehementioris cauſa exiſtit. At gena, linguaq;, & partes ex quibus fauces gutturis conſtituuntur, ſub quibus mentum eſt, cum caua fiunt, uox remiſſior, inclinatiórque fit: præ ipſarum uero extenſione, acutiori motu, ut in phidibus corde ſub plectro ſolent, intenditur; & hoc cauſæ eſt, ut uox uaria, multimodáq; feratur, utq; congrue muſici toni ad vſus neceſſarios dirigantur. Ad hęc autem labiorum dilatatione, et cõpreſſione ſimile quoddam, ut digitis in tybia pertractanda peragitur. Nam, pro modulaminis ratione, ſpiritum comprimunt, ac remittunt. (Siquidem tybię, lyræq; muſica, cum hominis inſtrumẽto cõmune neſcio quid poſſidens, quaſi concentu quodam inuicem conſonant) & ita quidem quemadmodum oſtendimus, uocis conſtitutio fit. Cum enim à pulmone ſpiritus materia per aſperam arteriam fertur, quę tali miniſterio ſufficit, dum per illam aer, quaſi per ſimphonem traiicitur, idem, in ipſa extenſus ſimilem ſonum peragit. Nihil enim aliud vox quam aeris percuſſio, ſiue percuſſus aer habetur, quę mentis cogitationes oratione illuſtrat. Quidnam labia, nareſq;, ac guttur ſint, iamdudum ſatis diſſeruimus. Gurgulio uero, quem ſtaphilim, hoc eſt vuam pleriq; nuncupant, non modo extra emiſſum ſpiritum, dum eum ceu plectro contrectat, in hanc, illamúe modi formam effigiandi facultatem optinet,

Verum etiam in aspera arteria, ac qua totum gutturis spatium continetur, ad aeris immodicas mutationes alia non vulgari utitur officii functione. Cum enim aer, immodico calore, uel frigore premitur, gurgulio sese illi quam primũ obiicit, atq; obuiam fertur, excessúmq; illũ in temperiem agit, ac ita spiritum in arteriam adigit, quem, pulmo, ac cor ipsius ministerio ad usus proprios uendicant. Non enim solum gurgulio, frigidi, calidiq; aeris excessum ad moderatã temperiem redigit, sed & ipsum ex fumosa, puluerulentaq; emissione crassescentẽ ad magis tenuem naturam, ceu isthmus adducit, nec non angustiis meatibus perpurgat, ac ad eas quæ intus sunt partes sincerum spiritum demittit. Nomina igitur, vsusq;, & actiones uocalium instrumẽtorũ, huiusmodi habentur. Vocis vero impedimenta (quo incõmodo premi nõnullis accidit) hoc quidem pacto fieri solent. Cum enim membranę quæ à thorace procedentes, ad spinam usque tendunt, pectus obturatum reddiderint, sic ut in thorace geminos fieri uentriculos accidat, inter ipsos pulmo medius consistere cernitur. Hi itaque duo uentriculi, sic inuicem seiuncti sunt, ut, ad extra, in leuam, ac à leua vicissim ad dextram, permutari nequeant. Itaq;, humorem quendam, ex immodico frigore, seu ex nimio calore prouenientem, in ipsos quos asseruimus ventriculos quãdoq; profluere, eosq; obturatos reddere cõtingit, qua ex causa uocis impedimẽta, ac eloquii prouenire cõpertum habemus. Si aũt alterum ex uentriculis obturari acciderit, imperfecta, dimidiataq; uox sequitur. Vtroq; vero patiente, tota penitus uox intercipitur. Et ita quidẽ de uoce talia dixisse sufficiat. Reliquũ est, uti de respiratione quo nam pacto fiat, quæ'ue pars quę agat sit, & quomodo quandoq; vehemens nonnunquam modica, aliquando uero mediocri tenore feratur, referamus. Scire quidem nos decet, quod respiratio, quæ non ui, sed naturæ ordine fertur, à septo transuerso, quod διάφραγμα græci dicunt proficiscitur. Est autem septum transuersum, membrana, quæ totum corpus pręcingit, & ipsa est, quæ altrices par=

tes à ſpiritalibus diſterminat. Et quemadmodum accidit, cum mode=
rato utimur greſſu, ſeptum tranſuerſum, reſpirationẽ quæ naturæ or=
dine fertur, peragere: ita cum reſpiratio concitatior fit, tunc & mu=
ſculi coſtis intermedii, cum ipſo, officii functionẽ explent, quoniã ip=
ſum tali officio per ſe ſufficere nequit; (ut his qui pernici greſſu ferun
tur accidit) cum ſpiritum ipſum magis extendi contigerit, tunc & illi
qui excelſi dicuntur muſculi agunt, quia tũ ſeptũ tranſuerſum, tum
muſculi coſtis intermedii, quantũ ſatis ſit ſufficere minime ualent; &
hoc in his qui currunt, ac intenſius in certaminibus exercentur, cerne
re eſt. Enimuero, reſpiratio, omnium corporis actionũ, uel animæ po- 1
tius celeberrima habetur; prius enim à nobis planiſſime demonſtratũ
eſt, cunctas quę à muſculis, neruiſq; mouẽtur partes, ab animæ facul
tatibus actionẽ uendicare, animaleſq; eſſe. Inter ipſas aũt, reſpiratio,
celeberrima eſt, quoniã in nobis inſitũ calorem uiuificat, atq; inſtau=
rat. Et cũ ipſa ſana, ualenſq; fuerit, plurimum confert, uti incolumis
animalium vita ſeruetur: Cũ uero detrimentũ patitur, ipſa animalia
mirũ immodũ lęduntur, pręuertuntúrq;. Cauſas igitur reſpirationẽ ge
nerãtes, efficiẽtẽ uidelicet, materialẽ, inſtrumentalẽ, finalẽq;, quęrere
opus eſt. Et quidẽ, efficiẽs eius cauſa, animę facultas eſt, unde muſcu
lis corporis motus ſubminiſtratur: Materialis autem, ingredientis, 2
exeuntiſq; ſpiritus reciprocatio habetur: Inſtrumentalis uero, ſeptum
tranſuerſum, & coſtis intermedii muſculi, & qui excelſi dicuntur:
Finalis uero eſt, uſus, qui duplex habetur: & alter quidẽ, cum purum
aera ad interiora admittit, et inſitum calorem uiuificat, alter uero, cũ
extra egreditur, & excremẽta fumoſa emittit. Sed & ad animalis ſpi
ritus alimentũ, quod ſola tantum reſpiratione fit, ipſa ſpiritus recipro-
catione opus eſt: Siquidem, cor, præ ſui extenſione aeris quandam
portionem intus attrahit, & ſpiritui animali cuius in ſe ipſo ſedes
eſt, alimentum ſuggerit, & ipſum ad uſum naturalis caloris ceu in
promptuario conditum ſeruat. Inſtrumentalis autem reſpirationis 3

causa, septum transuersum, musculiq; costis intermedii, ac musculi qui excelsi dicuntur existunt; in quibus cum aliqua ex parte peruersio fit, respirationis difficultas subsequitur: Quid nam autem respirationis difficultas sit, ac quo pacto fiat, quotq; eius discrimina habeantur, in præsentia explicare non attinet. At de pectore potius, deque commodis, emolumentisq;, quæ inde nobis proueniunt disputationem aggrediamur.

DE PECTORE.

PEctus, à græcis στῆθος, καὶ στέρνον, καὶ θώραξ. nuncupatur, & si à nonnullis hæc diuidantur, & στέρνον quidem ob id dicunt, διὰ τὸ στερεὸν, quod solidum esse explicares; στῆθος vero διότι ἕστηκε ἀσάλευτον, ex eo quod immobile consistat dixerunt. At alii ab eo, illud quod in nobis imperium optinet ibidem positum sit; inde fit, ut cum damno quispiam aliquem afficere studet, in pectore uerset, quod illi ita dicunt: στῆθοσε τις λωβήσεισε. siue σπίωτος dicitur, quod uidelicet cibus pro ipsum propinquũ in ventrem impellitur. θώραξ vero, οἷον ὅρος, καὶ φύλαξ τοῦ θερμοῦ nuncupatur, quasi quòd terminus, custosq; caloris ex mouente, exiliente videlicet corde prouenientis, habeatur. Vel θυώραξ dicitur, idest qui impetum mouent, quoniam, cũ irascibilis animæ uis in corde consistat, ab ipso pectore quòd cordis ibidem fines sint omnia furoris impetu mouentur. Thorax igitur, locus qui alimentum accipit est. Quidam autem vino madentem θωρήξασθαι dixerunt, ut Hippocrates, λιμὸν θώρηξις λύει ebrietas inquit famem soluit: Et Pindarus in Dithirambis, ἀλόχῳ ποτὲ θωραχθεὶς ἐπέχεε ἀλλόφρια, quod facit, vxorem, uino quandoq; madidus, falsis insimulauit. Thorax item & armaturæ genus est, ab illo quod comprehenditur, & illud quod comprehendit appellatum; quemadmodum & cassidem περικεφαλέα, quod uidelicet caput ambiat dicere solent: Siquidem thorax, pars est, neruis, musculisq;, ac arte-

riis referta, quam rerum opifex ad spiritus reciprocationem pro instrumento constituit. Ipse autem cum scapulis, clauiculisq;, ac costis copulatur. In parte uero, quę in fine eius sub papillis media est, chartilago quę gladialis nuncupatur, ipsi coheret; quo in loco septũ transuersum, uiscera, quæ sub pectore ab his quæ supra pectus sunt, spiritales inquam, uegetalesq; partes disterminans, ac diuidens, corpus in zonæ modum præcingit. Thorax igitur, domicilium cordis est, cui à tergo spina, ex aduerso uero pectus, at ex utroq; latere costarum constitutio compacta est. Enimuero, in ipso, geminos uentriculos esse prius ostendimus, quos natura ipsa quasi receptacula quædam, siue cisternulas admittendi, conseruandiq; spiritus gratia constituit, quo cordi in casuum euentu refrigerium, leuamenq; paratũ sit. Plerunq; enim accidere solet, his qui se cantandi arte exercent, cum uerba, uel modulamina ingeminare nituntur, respirationis facultatem intercipi, uel id sponte potius agunt, ne à recte harmonię debito tenore deficiant. In his igitur casibus, cor, à cauis quæ in thorace sunt spiritum suscipit, à quibus & refocillatur, donec ipsi in respirando (illi inquã qui cantibus indulgent) eiusdem reciprocationem admittant. Talis quædam thoracis substantia, actionesq;, & usus (ut diximus) habentur. Sequitur, ut de colli substantia, actioneq; proxime dicamus.

DE COLLO.

AB *his uero de dorso, spinaq;, tum de costis, & membrana qua ipse teguntur, postea autem de pulmone, cordeq; accurate disputabimus.* Collum igitur *græci* τένων, καὶ αὐχένα *nuncupant, anteriorem quidem eius partem* κατακλεῖδας, *hoc est clauiculã dicunt; Quæ uero retro pars consistit, neruus est, cui tendo nomen, ab illis* τένων *dictus, à quo & tenantium, morbi uidelicet genus quod colli neruos infestare solet appellatur.* Collum, τράχηλον, ἀπὸ τῆς τραχίτητος τῶν ἐκεῖσε ὀστῶν. *ab asperitate uidelicet ossium quæ inibi sunt,*

vel quod per ipſum alimentum defluit, quod illi ῥεῖν, aut φέχειν dicunt, nuncupant. κατακλεῖδας uero, quod nos clauiculam, inde dici opinantur, quod cum ſcapulis tale os dearticulatur, ac partes quæ circa pectus ſunt claudat. Siquidem clauicula ipſa, thoracis tantummodo diſterminandi gratia conſtituta eſt, quod os, præter omnia animalia homini duntaxat natura tribuit. Collum totum oſſibus obſitum eſt, ab occipite uero ſpinæ uertebrę ſunt, quæ muſculis, neruiſq; inuicem cohęrent. Ex his quę collo vertebrę adhibitę ſunt, ſeptē, quæ uero dorſo duodecim, ad lumbos aūt poſitę, quinq; numerantur, ſic ut numerus vertebrarum omnium quatuor ſupra viginti habeatur. Sunt quidem omnes inuicem compactæ, compoſitæq;, ac in his coniunctiones, proceſſuſq; in modum ſpinarum prominentes uiſuntur. Medici autem harum coherentiam γιγγλυσμὸν appellare conſueuerunt. Sed, quam nam uertebrę ipſæ uim habeant, cuiue uſui actioniq; accomodentur, in his quę prius expoſuimus ſatis dictum eſt. Præterea; collum ab illis δειρὴ nuncupatur, ſed hac nomen propria uocabuli ſignificatione ad quadrupeda refertur, hęc quidem de cauſa, quod ab ipſo animalia ἐκδέρονται, hoc eſt excoriantur: Sed & abuſus, ad hominum collum hoc nomen referri ſolet. Illud enim abuſu dicitur, quod non ex toto, ac recta ratione alicui rei accomodari poſſit. Pars autē quæ ſcapulis ſubditur, dorſum dicitur, quod illi μετάφρενον dicunt, quod, poſt loca in quibus mentis, ac præcordiorum ſedes eſt, conſiſtit, vt Homerus ἧπαρ ὑπὸ πραπίδων ὅ ἐστὶ τῶν φρενῶν, quod facit: At iecur eſt ſupter præcordia. Spina uero, quę ῥάχης, οἷον ῥῖξις τὶς ἐστὶν, videlicet riui cuiuſdam effluxus eſt, qui dexteram, à leua parte diuidit. Siue inde, à vertebrarum quidem aſperitate, à quibus ipſa conſtat nominis cauſam deſumit, quod ab ipſis φαχὶς, καὶ ῥάχις dicitur. Sed & ſpinę nomen optinet, ex eo quod prominentiis, ſiue proceſſibus quibuſdam in ſpinę modum fulcitur, quæ ab ipſis ἄκανθα nuncupatur. Homerus autem hanc ἰξύω appellat, vtpotè quæ ſcalpi pro-

pria

pria manu haud facile queat, ſed aliena officium explet, à verbo ξύσαι, ἢ κνῆσαι. *Nam Homerus, huius loci interpretandi gratia ſic inquit,* ὃς κατὰ κεληστὴν μέσα νῶτα πλῆξαι, *quod facit, qui medium dorſi ſcalpendi gratia tangit. Humeros nanq;* ὤμοις παρὰ τὸ ὑπομένειν τὰ βάρυ τῶν φορτίων, *quod ſarcinarum videlicet pondera ſuſtineant dici opinantur. Verum, locus in quo ſcapulæ ſunt, tergum appellatur, quod illi,* νῶτον ἀπὸ τοῦ νωτίζειν, *quod tergiuerſari eſt, uel quod magis quàm aliæ partes pondera ſuſtinentes ſudore madeſcant. Vt Homerus* κατὰ δὲ νώτιος ῥέεν ἱδρώς, *hoc eſt, defluit ex humeris ſudor. & illud prophetæ, dorſum meum dedi percutientibus, vnde animalia dorſo ſuſtinentia pondus* νωτοφόρα ζῶα *dicũtur. Sed & lumborum locus eſt, qui illi* ψύας παρὰ τὸ ψαύω *dictitant, à tangendo uidelicet, quod in eis caro oſſa ipſa tantummodo tangit, ac per ſuperficiem diſtenditur. Quoniã vero lumbi, & thorax, conſtarúmq; ordo inuicem coherent, copulantúrq;, & ceu communia quędam vſuum, actionúmq; officia explent, non ab re uidetur de coſtis etiam aliquid proferre in medium. Quædam nanque coſtę longe, quędam vero breues ſunt, quas coſtulas, ſiue degeneres, uel nothas coſtas dictitant. Hæ quidẽ numero quinq; habentur, & ſepto tranſuerſo coherent, ac inuicem recto ordine cõſiſtentes, in chartilaginem deſinunt. Reliquę vero coſtę, ſpinæq; vertebrę, & pectus, thoracis oſſa ſunt. Quælibet pars, utrinque duodenas coſtas, quod & ſpina vertebras continet, quarum quęlibet ſingulis uertebris coarticulatur. At pectoris oſſa, quę ſeptenarium numerum explent, dearticulatione inuicem iunguntur, quemad modum & coſtę, quæ, ipſi ſunt dearticulatione coniunctę. Itaq;, coſtas omnes numero quatuor ſupra uiginti eſſe conſtat. Ab utraque enim parte duodenę, dorſi uertebris, quę totidem numero ſunt, coarticulantur, quarum quinq;, lumbis ipſis applicantur, ſeptem uero cum pectore (quemadmodum diximus) copulatæ ſunt. Has autem ſeptem coſtas, cõmunis quędam membrana qua coſtæ teguntur, quę* ὑπεζωκὸς

dicitur, subcingit, velatq;, ab officii videlicet functione quod explet, ita appellata. Talē quidem membranam creatoris prouidentia inibi constituit, ne scilicet ossium substantia, quæ aspera, ac reluctans est, repente absq; medio aliquo pulmoni occurrens, dolores ipsi infligat, illúmq; præ sui tactu reddat attonitum. Sunt quidem & circa alias costas musculi, qui intercostilles dicuntur, quos & phrenas nuncupant, quoniam in phrenesim ipsi, hoc est in insaniam cum eos tumescere accidit hominē adigunt. Nihil enim aliud pleuresis, quam membranæ tumor quę costas subcingit, uelatque est. Sunt qui septum transuersum, & costas subcingentem membranam, vnam, eandemq; membranam esse, sed non recte opinati sunt. Nam alia quidem illa, alia uero hęc habetur. Septum nanque transuersum, ea quæ in thorace sunt, & quę sub ipso consistunt uiscera, disterminat, et respirationis officiū exhibet, uti prius cum de his agerem explicaui: Altera uero, costas subcingit, & pulmonem, quominus ab ipsis lædi queat, reddit exemptum. Enim uero, diaphragmatis, hoc est septi transuersi membranā, περίπλοον, quod uisceribus inuoluatur nuncupant. Siue peplon διὰ τὸ ὑφαπλοῦσθαι, quod uidelicet ipsis in pepli modum substernatur. uel πάτος, ἀπὸ τοῦ πεπῆχθαι, καὶ οἷον συνεσφίχθαι, quod compactam esse, constrictamq; interpretareris. Vt Callimachus inquit, ἤεις αὖ ὑφηέμεναι τῶσι μέμηλε πάτος, quod studiosi pro sui arbitrio interpretentur. Non enim costę figura inuicem conueniunt, sed quędam recuruę, aliæ uero ad pectus inuentes, in chartilaginem, non autem in os desinunt. Et extrinsecus quidem rotundę, intrinsecus uero latæ figuræ sunt, & deficientes, ac ueluti sese expectantes, cōsistunt. In earum uero suprema parte medulla, non autem in intima uisitur; Has πλευρὰς ob id dictitant, οἷον πολυεύρας, καὶ πλατείας, quod in plurimam latitudinem porrectas, ac multum loci occupantes recte dixeris. Siue πυλεωραὶ οὖσαι ἀπὸ τοῦ ὡρεῖν, καὶ φυλάττειν, quod terminare, ac custodire diceres, quoniam dum polmonem, & cor, ac alui fines ser=

uant, custodiúntq;, eorum excubito res, ac æditui habentur; Vt Hesiodus de terra inquit. γαῖα δέ τοι πρῶτι μὲν ἐγείνατο, ἶσον ἑαυτῇ, οὐρανὸν ἀστερόεντ' ἵνα μιν περὶ πάντη καλύπτοι. Latine ita diceres. Prima quidem tellus, post ipsam stellifer orbis Cretus: ut hanc mediam comprehenderet ordine certo. Et quidem comprehendere, pro eo quod custodire diceres positum est, ut illud, ὡς μοι κῆπον ἔχειν πολύδενδρον, quod est, Arboribus multis ortus mihi consitus extat. & illud ἔχειν δέ τε κίονας αὐτὸς μακρὰς, quod est, & ipsum longas columnas continet; & in his ἔχειν, pro continere positũ est. Hoc itaq; quo explicauimus modo, spina pectus, & costæ simul colligatę, coarticulatęq; sunt, quo dum illę harmoniis inuicem conueniunt, nos, ad motus, flexus, progressus, & regressus, tum ad moderatum incessum, cursusq; concitatos, nec non ad sessionem, & ad motum qui cum impetu, uel arte fit, aliaq; huiusmodi sufficere ualeamus. Soli autem homini crura ad duos rectos angulos flectere posse, ad coxas uidelicet, ac locum qui genibus oppositus est, natura tribuit; & pars quæ ad genua est; ad interiora, quę uero ad coxas uergit ad exteriora flectitur. Quoniam igitur à Thorace, tum cor, tum pulmo comprehenduntur, iccirco, quo nã pacto hæc in ipso intus consistant, consyderemus. Cor nanq; à pulmone comprehenditur, & ipsum pulmo quodammodo velat; Siquidem, pulmonem ipsum, arteriis, plurimisq; meatibus refertum quo respirandi officio sufficeret, natura constituit. Sed & tenuis, leuisq;, ac laxus huius gratia habetur pulmo, uti purũ aerem admittere queat, atq; insitum qui in corde est calorem excitet, rursúsq; eius fumosa excrementa extra emittat. Nam pulmo, cum ex quatuor quibusdã constitutus sit, ceu textũ quoddã est; Ipse nanq; exaspera, arteria, leuiq;, nec non uena crassa, & spumosa carne quę eius pecu liaris habetur, constat. Hæc enim caro, spatia ipsa texturę pulmonis adstoebæ herbæ similitudinem media implet; Cum inter duas arterias, venãq; ipsam cor situm medio sui comprehendat, spiritus ad=

miſſione ipſum cor pulmo refocillat, eique ſolamen adfert. Et hac quidem de cauſa pulmo ipſe, πνεύμων dicitur, ὅτι δοχεῖον ὑπάρχει τοῦ πνεύματος, quod videlicet ſpiritus conceptaculum ſit, quodq; præ ſui reciprocatione, partes quæ intus ſunt, demulcet, ac fumoſas exhalationes extra eiaculatur, & ipſe quidem, puris ſanguinis alimentum deſumit. Sanguis autem quo ipſe alitur, in dextra vteri parte concoquitur, tenuaturq;. Nam, cum fungoſæ ac præ tenuis ſubſtantiæ pulmo habeatur, vt puriſſimi, ſubtiliſſimiq; ſanguinis alimentum capiat oportet. Non enim aliter ipſe craſſum concoquere ſanguinem, ac in ſui alimentum abſumere, cum immobilis ſit, ac reſpirationi uacet facultatem optineret: hac de cauſa, inibi vt diximus tenuatus, atque in puriorem naturam redactus ſanguis, non ſine puriſſima aerea ſubſtantia eidem alimentum impertitur. Siquidem pulmonis natura adeo paſſionibus obnoxia eſt, vt à minimo quouis frigore, maloq; temperamento, ac craſſa exhalatione lædi facile queat. Et non modo pulmo ipſe, ſed et quòd & ipſum comprehendit pectus, ex eo quòd neruis obſitum eſt à quantulouis frigore damno afficitur. Quoniam igitur pars in ipſo eſt, quæ hominis fermè vitam, inſitum videlicet calorem comprehendit, cuius quidem cor officina habetur, hunc uſquequaque excitari naturæ ordine, agitariq; opus eſt, quod ex ipſa ſpiritus reciprocatione fieri cernitur. Hi autem motus, præ contractione, remiſſioneq; thoracis, (quemadmodum prius diximus) ab animali calore efficiuntur: hac de cauſa thoracē ipſum, utpotè qui uitam quæ in nobis eſt comprehendit, natura muſculis inſigniuit, referſitq;. Et cum plurimi huiuſmodi muſculi ſint, & neruos plurimos eſſe qui illis mouendi facultatem impertiantur certum eſt. Cum nerui itaque pituitoſo, craſſoq;, ac lento uapore afflantur, frigus nimirum ſentientes, quati ipſos, conſtringiq; accidit. Hac de cauſa, vene, nerui, arteriæ, ligamenta, chartilagines, atq; exungia, in thorace conſiſtunt, quo tum decentem calorem loco ipſi

impertiantur, tum damna à frigore prouenientia abigant, amolianturq;, nec non uiciſsitudine quadam inter ſe communibus commodis fruerentur. Vena nanque ipſa, neruo, ac arteriæ, reliquisq; thoracis, uel potius totius corporis partibus alimentum ſubminiſtrat. Arteria vero, naturalis caloris, ac vitalis ſpiritus uim, non venæ tantum, ſed reliquis etiam partibus impartitur. A neruo autem illa, & cum ipſa totum corpus ſenſum uendicant. Verum à corde ipſo thorax, vtpotè cuius domicilium ſit, caloris naturalis plurimum accipit.

DE CORDE.

COr autem neruis, muſculis, veniſq;, ac arteriis præditum eſt, cuius ab utraque parte gemini uentriculi cernuntur, in quibus inſitus calor, uitaliſque ſpiritus progeneratur. In hoc nanq; corde, magna, primaq; arteria quæ adorta nuncupatur inſita eſt, unde cunctæ totius corporis arteriæ uitale robur, ac inſitum calorem ſuſcipiunt. Vitale autem robur, pulſum nuncupamus. Enimuero Creatoris poteſtas, quæ uniuerſa gubernat, pulſus dominatum cordi largita eſt, quo præ ſui contractione, fumoſa excrementa quæ in ipſo ob immodicū eius calorem gignuntur expellere, efflareq; poſſit. Cum uero dilatatur, diſtenditúrque, purum exterius prouenientem aerem admittere ualeat. Cum ipſum præter naturam, plus nimio calore, rigoréue occupari contingit, eadem protinus affectio totum corpus noſtrum ſubſequitur.

DE IRACVNDIA.

IN Corde nanque ipſo iraſcibilis uis poſita eſt, quæ animæ paſſio habetur. Paſſionem autem animæ dicimus, in his, in quibus primitus ipſius motus eſt. Atqui cor ipſum, vtpotè inſtrumentū eius ipſi compatitur. Nā, cū anima immortalis habeatur, proculdubio,

& corporis paſſionum expers eſt. illud enim quod compatitur; mouet, ſiue vitalem ſpiritum cuius in corde ſedes eſt, introrſum ferri, ſiue extra contingat: Et cum extra egreditur, concitatior fertur, ut in his qui iraſcuntur cernere eſt. In his vero, qui lætia afficiuntur, remiſſior fit. Qui autem formidine premuntur, in ipſis intus confertim mouetur. Triſtantibus uero agitari per interualla ſolet. Cordis itaq; munus, tũ hæc quę adduximus efficiendi, tum totum corpus calefaciendi habetur. Cor namq; ipſum figura ſua coni formam exprimit, & cum magis ignitum prę omnibus corporis noſtri partibus habeatur, huius gratia ignis figuram ſortitum eſt. Et quemadmodum ignis ipſe, à latiore, magiſq; ſpatioſa baſi originẽ capiens, ſurſum ſe ipſum contrahendo, uſquequaq; acuminato cacumine fertur; ita & cor in coni modum conſiſtit. Conus autem figura eſt quę circumagi facile poteſt, & quæ in acumen deſinit, quam comprehendere quiſq; hoc pacto queat. Si quis exempli gratia plures circulos, alterum, alteri impoſitos, conſyderet, ex quibus qui infra eſt omnium maior habeatur, qui uero ab ipſo paulo breuior, tum tertius, quartuſq;, & qui ſequuntur contractiores, breuioreſq; ſint, ſic ut eorum ordo ad diminutionem tendat quo ad in breuiſſimum circulum deſinere uideatur: Eadem & de cono haberi ratio poteſt; talem nanq; figuram exprimit. In eo latiorem, & circularem partem, baſim, anguſtiorem uero, & ipſam circulariter deſinentem, apicem dixeris. Cum igitur cor ad coni formam conſtitutum ſit, baſim tamen infra tendentem non habet, ſi enim eius acumen ſurſum dirigeretur, plurimos ad cerebrum vapores emitteret, & temperies eius quam natura largiente à prima conſtitutione frigidam adeptum eſt, præuerteretur: Iccirco, baſis eius, retro, & ſurſum vergens conſiſtit; acumen vero ante, & infra protenditur. Hac igitur de cauſa, cũ partes quę pectoris ſunt calefaciat, uti pilis denſentur, cauſa exiſtit. Nam, ſpiſſum, denſumq;, quod illi λάσιον, καὶ δασὺ dicunt inuicem diſcrepant, eo quod ſpiſſum, in mul-

titudine, frequentiaq; pilorum, densum vero, non modo in his, sed in magnitudine eorundem cernere est. Talis siquidem locus, in non nullis, non modo multitudine, densitateq; pilorum, verum etiam prolixitate refertus inspicitur. Illud enim à græcis ΚΑΡΔΙ'Α à verbo κραδαίνω nancupatur, quod moueo, siue quatio diceres, ex eo quod formidinem, animiq; sollicitudinem superuenientem sese concutiens indicare solet, ut de Vlysse apud Homerum. πολλὰ δὴ οἱ κραδίη πρωτὶ ὄσσετε ὄλεθρον. quod est. Cor sibi signa dedit futuri ad lumina fati. Et rursus. καὶ γὰρ ἐμοὶ νόος ἐστὶν ἐνέσιμος, οὐδέ μοι αὐτῷ θυμὸς ἐνὶ στήθεσι σιδήρεος ἀλλ᾽ ἐλεήμων, quod facit, Nec mens laude caret, nec mi sub pectoris imo, ferreus est animus, verum mitisq;, priusq;. Sed & presentē angustiam ferre nos suadet, ut illud. τέτλαθι δὴ κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ᾽ ἔτλης, quod est, sustine cor, cum tu quosdā grauiora tulisses. A b ipso inquam corde (ut dictum est) uitalis spiritus, nec non purissimus, ac sincerissimus sanguis, & calor per totum corpus arteriarum ministerio diffunditur. Enimuero, cum summus rerum opifex, de eo qui in nobis calore est, maximam curam ageret, illius conseruandi, duabus corporis nostri partibus cordi videlicet, iecinoriq; sed cordi presertim, officium demandauit. A b his nanque & reliquę corporis nostri partes, ut quæque est, pro sui captus ratione insitum qui in ipsis est calorem, quo cōmissa sibi exequi munia queant, vsquequaq; desumunt, atq; ipso fruuntur. In cunctis autem arteriis, seu venis, aerea substantia, quę per plurima foramina exhalat, sanguini admixta est, cuius sanguinis purissima portio in corde moratur; adusta vero, atq; comburens, non modo ore, naribusq;, verum etiam in certis meatibus expellitur. In certos autem meatus, totius corporis respirationem appellamus, qua præ arteriarum contractione, ab earū penetrabilibus plurimæ exhalationes per laxam cutim egrediuntur.

Post igitur thoracem, & chartilaginem quę gladialis dicitur, utpotè quæ partis ad hipocondrium terminus est; quod videlicet à pectore,

ad pubem usq; , eiusq; partes tendit , quas & uentrem nuncupamus; omne inquam illud spatium sub uentrilis pars dicitur, quod & trifariam diuiditur, in superiorem videlicet, & inferiorem uentrem , atq; abdomen. Et inferiorem quidem uentrem, vmbilicum appellamus. Ab inde uero, supra pars , quę sublimior est , quod aluo immineat, superior uenter nuncupatur: pars uero altera, aluus scilicet quod ipsi uentri subsit, inferior uenter appellatur. Sed partes imas ab vmbilico ἦτρον dictas, abdominis, & pubis loca uocamus. Infimam autem partē quę sub testibus est, περίνεον, hoc est colem nuncupant. Quæcunq; igitur in superiorem uentrem diuisa sunt, stomachum, & superiorem uentriculi partem continent; & à dextris Iecur , à sinistris uero lien cernitur , quorum utrunque , uisceris appellationem desumit . Nam illi σπλάγχνα uiscera dicunt, διὰ τὸ διασπᾶν τὴν τροφὴν, quod alimenti ab eis uisceratio fiat, hęc enim & instrumentalia sunt. Stomachus autem neruis refertus est, & idem oficina tum appetendi, tum conficiendi tam sicci, quam humidi alimenti per idonea habetur. Illi στόμαχον dicunt ὅτι ἀπὸ τοῦ στόματος εἰς αὐτὸν χεῖται, quia per os siue humidum, siue illud siccum alimentum fuerit ipsum infunditur. Vel quasi στόμαχος quod cum cibo confligat, ipse enim à cibo premitur, & cibum uicissim ipse premit, dum ipsum ad sibi prescripta loca demittere satagit. Vel inde stomachus dictus est, ὁ ἐστὶ μυχανὴ τῶν σιτίων, quasi ciborum machina sit, quę ipsos conficiat. Sunt qui stomachum ἐκ τοῦ στόματος ab ore uidelicet dictum uelint. διὰ τὸ τὴν μάσταχα ἐξ αὐτοῦ δέχεσθαι, quod ab ore mansum, idest alimentum suscipiat, ut illud ὡς δ᾽ ὄρνισιν ἀπτῆσι νεοσσοῖς προφέρῃσι μάσταχ᾽ ἐπεὶ κε λάβῃσιν, quod facit: Vt uolucris mansum pullis implumibus affert , quod capiant , quo nam autem pacto stomachus appetitus officina sit, ex his perspicue patebit. Quoniam stomachus ipse (ut dictum est) cum appetitus, conficiendiq; cibi officina sit, alimentum ab ore suscipit: habet autem sinū ad finem chartilaginis, quæ gladialis dicitur, in quem

per os

per os demiſſum cibum recondit.

QVO NAM PACTO VENTER *à ſtomacho alimentum ſuſcipit.*

NOn multum poſt temporis, venter, quæ nuper in ſtomachum demiſſa fuerant, quo ea iecinori, & inteſtinis impertiatur, deſumit. Et iecinori quidem, alimenti ſuccum; inteſtinis uero, ſtercoris materiam applicat; quandoquidem excrementa (quemadmodũ ſuperius demonſtratum eſt) cum in ſtercus conuerſa, egeſtaq; fuerint, & particulæ omnes congruum alimentum abſumpſerint, totũ corpus ab ambientis nos aeris ui conficitur, & hanc neceſſitatem omnia quæ ſub generationem, corruptionemque cadunt, perpetuo ſortiuntur. Siquidem, & lapides, longi temporis æuum diminuit, uti alii, quam quondam facti fuerant, uideantur. Tum quodlibet corpus, & præſertim eius cutis, quo magis obuia aeri fit, uel ad ipſum propius accedit, eo ocyus abſumitur. Poſtea uero venter, alimentum deſumptum, muſculorum officio, ad partes quæ eo indigent, diſtribuit. At partes ipſæ, illud ſibi pro alimento uendicant; ab illis uero, quod eis proximum eſt, alitur; & ita continuata quædam, & perennis ſucceſſio fit, quo ad illud ad iecur acceſſerit. Deinc autem iecur, quod alimento indigebat, illud quod in uenis quæ mediatrices nuncupantur comprehenſum fuerat, ad ſe attrahit; illæ autem venę, ipſum, ab uentre, uenter uero ſibi à ſtomacho ſuſcipit. Et quoniam talis motus ad uentris uſque, & ſtomachi terminos præſcriptus eſt, inedia per neruos animali indicitur; huius gratia natura tum uentrem, tũ ſtomachum, plurimis ſenſu pręditis neruis inſigniuit, quo ipſi, alimenti inopiam ſentientes, animal ipſum ad ſibi cibum, potúmq; admouendum excitarent, aliaq; ſubinde, ad ea quę iam abſumpta ſunt, ipſi ſufficerentur: hoc enim pacto appetitus quem famem nuncupares, conſtitutio fit. A ſtomacho nanq;, venter, à uentre, uenę mediatrices, ab

ipsis, iecur, à iecinore, totius corporis uenę, ab eis, uena quæ caua appellatur, ab illa, musculi, carnesque molles quæ illis proximę consistunt, ab carnibus, cutis, alimentum desumit; & ita huiusmodi motus, nunquam desinit, quo ad illud conficiatur, quo confecto, rursus retrograda quadã uicissitudine, inuicem excitantur, instaurantúrq;. Musculi quidem, à cute, quod ab ipsis alimẽtum acceperat, carnes uero, & uenę, à musculis, unde alebantur, à carnibus uero, & uenis, iecur; à iecinore, venter, à uentre, stomachus idem repetunt. Ab ipso siquidem stomacho, & uentre animal ad sibi parandum cibum extimulatur; ipsum uero, naturę ui, alimenti curam dissimulare minime potest, & ita in nobis, plurima temporis intercapedine appetitus gignitur. Et quidem hyemis tempore, cum omnis corporis nostri calor, ob ambientis nos aeris rigorem, densitatemq; ad intima declinare cõpellatur, corpori respirandi facultas nõ ampla datur, insitus calor plus nimio, & ceu geminato uigore auctus, internũ humorem totum absumendo, ad cibum appetendum propensius animal reddit; de quo Hippocrates, hyemis, uerisque tempore, natura calidissimi uentres habentur, ea enim tempora largiores cibos expetunt. Cibos enim Hippocrates προσάρματα appellat ὡς προσφερόμενα τῷ σώματι, quod uidelicet corpori afferantur, adhibeantúrq;: unde & panis ab ipsis artos dicitur, ἀπὸ τοῦ αἴρω τὸ προσφέρω, quòd singulis uidelicet diebus ad usos nostros adferatur. Nam si nobis tantundem alimenti adhiberi daretur quantum absumi posset, corpora nostra permutationem sentire, senioq; confici, eiusq; damnis esse obnoxia haudquaquam eueniret. Verum, quoniam quod absumitur, ac per excrementa secernitur, longe immissi alimenti portionẽ exuperat, hac de causa radicali humore sensim deficiente, & corpore ob id siccescente, animal senescit, corrumpitúrq;, atq; ad impotentiã, imbecillitatemq; necessario fertur: quæ ratio, non de homine tantum, sed de cunctis item animalibus habenda est. Et hæc de stomachi usu, actionibúsq;, atque appellatio-

ne satis dictum sit.

DE IECINORE.

IEcur autem substantia rubescente, carnosaq; habetur, & à dextera parte ipsius in qua sanguinis constitutio fit venę oriuntur, per quas ad totum corpus nostrum alimentum distribuitur. Et talis quidē definitio iecinoris est. Nā, tametsi de eius structura, actionibúsq; prius explicauerimus, nihilo tamē secius de ipso impræsentia nōnulla referemus. Cum enim ipsum appetiscibilis facultatis instrumentum sit, hanc duobus modis exercet; altero, in alimentorum, & altero, in rei Venereæ usum. Item, altero quidem quod deest corpori sufficit, altero vero exuperantem materiam excernit. Hoc autem extum natura calidum est, utpotè cui natura ipsa sanguinis generandi, aliorúmq; humorum curam demandauit. Etenim, cibi quibus uescimur, & si eos diuersos esse contigerit, cum per stomachum in uentrem demittuntur, concocti inibi, alteratiq;, mistę qualitatis in succum abeunt. Cum vero iecur, illum arteriis quæ mediatrices dicuntur desumpserit, magis ignitum reddit, et illum concoctione media in sanguinis naturā transmutat, ac toti corpori uenis hoc munus exequentibus, sufficienti dispensatione distribuit. Quapropter, melancholicus humor, à sanguinis fece constituitur. Quod uero eius serosum est, flauam bilem, at spumosum, ampulosúmq; pituitam generat. Et melancholicus quidē humor, ac pituita, utpotè quę grauiora, ac magis ponderosa quā alia sunt, infra sidunt; flaua autem bilis leuiori qualitate prædita, circa superiora uersatur; at sanguis exacta ratione, in medio sedem possidet. Præterea, iecur in simis sui partibus subiectos sibi musculos continet, qui, ei ad sanguinis concoctionem, aliorúmq; humorum distinctionem operā non segnem nauant. Qua uero gibbosa iecinoris sunt, vena quam cauam dicunt, bifariam diuisa consistit. Cuius altera portio infra ad inguina, ac crura dirigitur, altera uero, ad cor, pectus, ac caput, & qua iugale os consistit protensa, cor ipsum interius, ac exte-

rius ambiens complectitur, dehinc rursus reserata, venis quæ ad aures, tendunt adnectitur. Præterea, in iugulares venas finditur, à quibus plurimæ tum instrumentales corporis partes, tum simplices irrigantur. Iecur autem, quod ἧπαρ dicitur, παρὰ τὸ ἐπῆρθαι, καὶ κυρτοῦσθαι, dictum volunt, quod in gibbosam videlicet, figuram erigatur. Vel ab ἐπαρδεύω, quod irrigare est, quia totum corpus ab ipso per sanguinem irrigatur. Siue παρὰ τὸ ἥδω, τὸ εὐφραίνομαι, ab eo videlicet, quod letitię causa existit, nam in ipso, voluptatis, & cōcupiscentiæ sedes est; unde & tityum apud inferos, ac pœnas pendere authores memorat.

DE LIENE.

Lien autem iecinori oppositus consistit, qui quidem venis, & arteriis refertus est, in se inequalia uascula, exiliáq; admodum, ac plurima continens, inter quę concreti sanguinis guttulę uisuntur, quamob causam, laxæ, fungosæq; materię habetur. Eius siquidē natura frigida, acetosaq; est, qua acetositate ipsum natura uti stomachū ad alimentum appetendum excitaret prẹditum esse uoluit. Sed cū & atræ bilis exuperantis humoris excretionem in aluum fundat, stringit ipsam, ac contentam reddit, nec non ad concoquendum ea quæ in ipsam immittuntur, assiduę excitat. Ad hæc, & purgandi iecinoris ministerio sufficit, dùm ad sui alimenti usum, feces, turbidúmq; humorem, quæ ab ipso proiiciuntur attrahit. Nam lienen ipsum σπλῆνα παρὰ τὸ ὠθεῖ σπᾶσθαι appellant, quod uidelicet, malos iecinoris humores ad se attrahat.

DE VENTRE.

Ventrem autem neruosum, exungiosúmq;, quo in ipso siccū, humidúmq; alimentū demissum concoquatur, natura procreauit. Illum κοιλίαν, ἀπὸ τῆς κοιλότητος, quod videlicet concauus sit nuncupant. Vel ἀπὸ τοῦ χυλοῦν, καὶ λειαίνειν, quod alimentum in succū uer-

tat, atque emolliat. Idem γαστὴρ παρὰ τὸ γαστρίζω dicitur, quod cibo repleri interpretareris, quod ipſe, expetendo alimentum, nos cibo repleat: Siue ὅτι κορεσθεῖσα γεγάστρωται, quia, præ ſui ſaturitate, quaſi pregnantis fœminę in tumorem ipſe excreſcit. Siue, quòd inſatiabilis exiſtens (id uentri deditis, quos γαστριμάργος dicunt dari probro ſolet) omnem ſubſtantiam abſumere conſueuit. Pars aūt eius quę ſuperne conſiſtit, quæq; à medicis ſuperior uentriculus nuncupatur, in anguſtum deſinens, recta, ac modice ſinuoſa eſt, quod in cauſa fit, uti ad uomitum admodum facilis habeatur. Inferior uero pars, quod in ipſam alimentum contrahitur, lata eſt, & magnus uenter appellatur. Venter autem ipſe ſenſibilibus neruis plurimis præſertim in ſui orificio obſitus eſt; quapropter, ſentire inediā (ut prius docuimus) omnium promptiſſimus eſt, ne ſcilicet animal in ſui obliuione, fame deperiret.

DE ALIMENTO.

ALimentum enim duplici de cauſa corpori noſtro adhibemus, altera quidem, quo illud quod abſumptum eſt, expleremus. Altera uero, augendi qui in nobis inſitus eſt caloris gratia. Siquidem, ſtomachi, ventriſq;, appetendi alimenti naturale officium eſt, quod cum animali ſenſu prouenit. Nam venter, iecúrq; in alimento, quod extrinſecus aduenit, cōmuni officio funguntur, dum illud alter in ſuccū, alterum in ſanguinem commutat.

QVÆ LOCA SAPORIBVS quatuor preſcribuntur.

ALimentales aūt ſapores (ut prius à nobis demonſtratū eſt) in iecinore cōſtitui, manifeſtum habetur. Et cū ipſi naturę ordine gignātur, ſummę ꝓuidētię munere q̄libet ſibi peculiare cōceptaculū ſortitus eſt. Nā flauę bilis, fellis ueſica cōceptaculū eſt, quę ſimis iecinoris inhęret. Humorē uero melancholicum lien continet. Seroſum autem ſanguinis, in renes, et vrinę meatus, ac veſicam confluit. Sanguis aūt

à venis, & arteriis recipitur. Atræ uero bili, utpotè quę nullo naturæ ordine conſtituitur, nullus ab ipſa locus præſcriptus eſt, ſed cum huiuſmodi bilem gignì accidit, ob acutum eius, malúmq; humorem natura eam abigere, ac per ſeceſſum expellere uſquequaq; molitur. Pituita autem ipſa, per omne ſpatium interius ſparſim diffunditur; ſed & per caput, eadem defluit. In ſtomacho autem, thoraceq;, peculiares illis locis humores ſunt. Nam quæ craſſioris, ac magis pituitoſæ naturę ſunt, infra excernuntur, exilia uero, atq; in iucunda, humidaq;, ab ore expuuntur; tum etiam per uomitum, excreatúmque; quæ illi ἀνάχρεμψιν, καὶ ἀπόχρεμψιν dicunt: quę quidem diuerſa habentur. Nam ἀνάχρεμψις dicitur, cum, à ſtomacho, & uentre quod euomere, uel expuere compellimur, ad palatum aſcendit. ἀπόχρεμψις uero, quod purgandi gutturis, & aſperę arteriæ grativ expuimus. Iam nos ſatis perſpicuum reddidiſſe arbitror, quo nam pacto iecur uentri ſubiacet, eúmq; feruidum reddat, quóue modo uterque, cōmuni quadam officii functine utitur. At quo modo ipſe uenter, ea quę continet, inteſtinis impertiatur, hinc dicere ordiemur. Sciendum quidē eſt, quòd os, cum alimentū accipit, uariorum dentiū miniſterio illud conficit, ac molit, dehinc in gulam demittit. Gula autem, media inter guttur, ac uertebras conſiſtit, qua quidem alimentū ipſum procedens per ſtomachum, à uentris ſinu ſuſcipitur; qui comprehenſum cibū concoquit, ac in ſuccum redigit, ſic ut diuerſa in unā ſpeciem tranſmutentur. A ventre uero ſuccedunt inteſtina, quę in circuli modū ad pubē uſq;, ac ſedimentum poſita uiſuntur, in cuius orificio muſculus ſitus eſt, qui, egerendi ſenſum, ipſi largitur. at quidem inteſtina uenas, neruosq; habent, quorum quędā ad alimenti concoctionem obſecundant, alia uero ſicci excrementi recipiendi, excernendiq; gratia, natura procreauit. Sunt enim (ſi ea noſtris cubitis metiaris) trium ſupra decē cubitorum numero. Omnia autem, ſub uelamine pinguis tunicę comprehenſa, noueno ordine conſiſtunt; & eorum quodlibet, huiuſmod

appellationẽ subit. Est quidem stomachus, venter, ianitor(is & processus duodecim digitorum à longitudinis mensura nomen desumens, nuncupatur) intestinum gracile, cæcum, colon, ieiunum, archon, & rectum. Ex his quædã sunt, quę distinguendi, alimenti, alia reccipiendi, nonnulla uero ipsi transitum exhibendi, munia obeunt. Alia excernendi officium explent. Quibus distinguendi alimenti munus tributum est, ianitor, ieiunum, & gracile intestina sunt; in his enim utile alimentum ab inutili seiungitur; & utilis quidem alimenti succus, ad iecur, quo inibi concoquatur, ac partes corporis nutriat, secedit. Inutile uero excrementum, alimenti uidelicet purgamenta, quæ stercus sunt, extra abiiciuntur. Nam stercus, quod κόπρος παρὰ τὸ χεῖσθαι διὰ τοῦ πόρου χόπορος τίς οὖσα, quod uidelicet per meatũ extra funditur dictum est. Vel quasi κόπος, quod laborem diceres; etenim omne excrementum, tum laborem cum retinetur, tum grauedinem inducit. recipiendi autem alimenti intestinum, cæcum est. Illud uero quod transitus ministerium explet, colon intestinum est, quod à concauitate ita dicitur. Rectum autem intestinum, excernendi ministerio sufficit. Horum autem intestinorũ ordo, recto tramite, à stomacho, ad ventrem ita dirigitur. Ab inferiore uero uentris parte, duodenũ digitorum processus, quem nonnulli, & uentris partem dici uoluerunt, excrementum recipit. Ab hoc intestino, illud, quod ieiunum dicitur, situm est, ob id ita appellatum, quia uenis, quæ mediatrices dicuntur, proximum consistit, cuius, cum illę naturę ordine omnẽ humorem exhauriant, nunquam non inane conspicitur. Dehinc vero gracilia intestina succedunt, nam in ipsis, amfractus quidã visuntur, ex eo quod situs eórum in rectum neutiquam protenditur; & inter ipsos flexus, mẽbranea, pinguescensq; interiecta substantia est, quàm vulgo εἴλεσιν nuncupant, quod occlusionem, siue impedimentum diceres, quæ, intestina, & venulę à iecinore prouenientes, superueniunt. Gracilibus uero intestinis, crassa succedunt, inter quæ, primum, quod cæcũ

dicitur est, quod primum stercoris materiam recipit. Et quoniā ipsum intestinum egressum non habet, stercoris materiam eructat, ac quodā modo euomit, eamq; ad intestinum quod colon dicitur, recipiendā demittit. Hoc nanq; cæcum intestinum, à dextera parte, in obliquū protenditur. Colon uero intestinum, cum à leua porrigatur, ac sese super cæcum intestinum intorqueat, ad dexteram iliorū tenus partem accedit, inde denuo repetito flexu, ad leuum inguem usq; progreditur. Quapropter, qui colico premuntūr morbo, cum dolores in huiusmodi flexibus sentiant, nunc huc, nunc illuc in modum serpētis flectuntur. Ab illo autem intestino quod colon dicitur, archon intestinū est, quod stercus in se receptum ad rectum intestinum, utpotè quod omnium nouissimum est transmittit; cui quidem, per illud, ob eius rectitudinem, extra egrediendi nulla interposita mora peruiū iter patet: qua de causa, recti nomen sortitum est. Hæc itaq; omnia, à uentre sustinentur, comprehenduntúrq;. Quamobrem, cum summi Creatoris prouidentiæ, maxima cura de ventre habenda fuerat, musculis ipsum innumeris circumsepsit, quorum quidā sursum uersus, alii deorsum uergunt, non nulli recto tramite, alii in obliquum diriguntur. Ad hos, alii item à pectore uarios amfractus figurantes, partim à dextro inguine, in leuum directi, partim à leuo, in dextrum protenduntur. Insuper uentrem ipsum, omentum, & abdomen uelant, ipsúmq; calefaciunt, & uigorem illi impertiuntur, quo robustius, fortiúsq; intestina, & quæ in ipsis materies est, sustinere, ac tueri queat. Musculus autem, ad podicis orificium est, qui ab illis σφιγκτὴρ dicitur, quòd extremum ibidem recti intestini comprehendat, stringatque, unde tum peditus, tum cuncta sicca excrementa, præ angusti illius orificii dilatatione, extra excernuntur. σφιγκτὴρ ideo dicitur, παρὰ τὸ σφίγγω, quod stringat intestinum, & quasi uinciat: ne scilicet, tum peditus, tum stercus intempestiue, & quibus non deceat locis à nobis excernatur. Podicem uero, inde πρωκτὸν dici autumant, οἷον πρωακτὸν, quod

videlicet

videlicet per ipſum ſiccum excrementum proiiciatur. Quoniam uero per inteſtina diuerſi quidam, acerbiq; ſapores ab excrementitia materia conſtituti feruntur: natura, pinguem quandam, pituitoſamq; materiam molita eſt, qua eis oblectamentum obduxit, applicuitq;, ut ſibi obicis, & propugnaculi uice foret, quominus acri illius ſaporis effluxus morſus incutiendo, dolores ipſis, ac animali ſimul infligant. Simile quoddam & in uentre cernere (ut nuper expoſuimus) facile queas, quòd cuſtodiæ gratia ipſi ἐπίπλοον, ac περιτόναιον, ideſt omentum, & abdomen undiq; obducitur. Ad hęc, & uenter, à quo excrementa continentur, interius huiuſmodi oblectamenta, quæ & inteſtina à ſimili materia ob eam quã diximus cauſam ſentit. Præterea, inteſtinum illud, in quo excrementitia materia poſita eſt, ob ſeptum intrinſecus, obductúmq; (quemadmodum de inteſtinis diximus) huiuſmodi pinguedine cernitur. Itaq;, ſumma Creatoris prouidentia, cum animaduerteret, partes neruis obſitas, ex acerbis humoribus remorſus patientes, dolores fuiſſe ſenſuras, ac animal inde ipſum iiſdẽ doloribus obnoxium futurum, illis quę adduximus oblectamenta adhibuit. Præterea, cum animalis curam gereret, meatus, ad aqueductus ſimilitudinem impertita eſt; quibus corporis excrementitia materia, feceſq;, exhaurirẽtur. Ad hæc, cum naturę ipſi perſpectum fuerit, alimentum quo fruimur, & quo corpus noſtrum, proprio, ac peculiari utitur, excrementitiæ materię non nihil habiturum, huius gratia, meatus ipſos molita eſt; quemadmodum pleriq; agunt, quibus publicorum locorum in urbibus cura incumbit. Hi nanq; riuos, cloacaſq;, ad fluuialia loca, uel ſtagna, uel ad pelagus, directa conſtruunt, quibus putrem, ac ſuperuacuam quę contracta fuerit materiam perpurgent.

At cum triplex concoctio, in uentre uidelicet, iecinore, ac reliquis totius corporis partibus fiat, totitdem item excrementorum genera conſtitui neceſſarium extitit. Ex primę quidem concoctionis excrementum, ſicci alimenti, quod ſtercus nuncupatur eſt, quod, per inteſtina

quæ ad podicem ducunt, excernitur. Alterius vero concoctionis excrementum, humidum habetur, hoc enim renibus, ac partibus quæ mingendi officio inseruiunt, perpurgatur, quod quidem vrinam appellares. Tertiæ vero concoctionis purgamenta, totius corporis sudores sunt, qui in certis meatibus ad exteriora penetrant. Hęc quidem, hac de causa à natura ipsa constituta esse manifestum habetur, ne scilicet in intestinis moram agendo, in putredinem verterentur, unde animali innumera damna ingruerent. Nam siue siccũ è corpore, siue humidum excrementum, sudores'ue, aut sputa excerni contigerit; cum uitali spiritu extra feruntur. Intestina nanq; ἔντερα, οἷον ἔντελα ἀπὸ τοῦ εἰλεῖσθαι dicta sunt, quod videlicet intus inuoluta consistant. Vel ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, quod per ipsa alimenti exuberans materia extra fluat. Hæc item intestina, & ἔνδιμα, quod apud Homerum est appellantur, qui ait, ψαῦσαι ἐνδίνων, quod est, intestina tangere. Ab aliis, & χολάδες intestina dicuntur, ἀπὸ τῆς χολῆς, ab ipsa videlicet bile, quod naturę instinctu bilosa in se excrementa recipiant. Post uiscerum quidẽ, ventrisq; ac intestinorũ sitũ, in quo loco nothę desinunt costæ, iliorum, ac laterum locus nuncupatur. Ossa uero quę costis proxima locantur, iliorum ossa, quę & lata sunt appellantur. At ossa quę retro, ac infra ad basim uergunt, coxendicum sunt. Quę uero inde ad anteriorem partem diriguntur, quæ exilia, ac terebrata sunt, quæ'ue extremis partibus inuicem coherent, pubis ossa appellantur, ob id dicta, quod loca illa cum homo ad puberem ætatem accesserit, pili occupant. Hunc autem locum græci ἐφήβας, impubium, & ventriculus, καὶ ἦτρον dixerunt. Et ἦτρον quidem ἐκ τοῦ ἰκματοπέμπω, quod videlicet excrementum infra per intestinum demittat. ἐφῆβαι uero, idest, impubium, διὰ τὸ βαίνειν τὰς φίχας ἐκεῖ, quod scilicet pili ibidem proueniant. Nam, pubertatis tempora, nullo satis certo temporis spatio præscribuntur, cum pubescentibus, non æque in omnibus, insitus calor redundet. Vt Hesiodus, ἀλλ᾽ ὅταν ἡβήσειε, καὶ μέτρον ἥβης

ἥκοιτο, quod facit, at cum pubeſcet, uel pubis tempora tanget. At qui, ile, & latus, quod illi κενεὼν, καὶ λαπάρα dictitant; ex eo appel latum conſtat, quod locus ille oſſibus uacet, quod illi κενὸν τῶν ὀστῶν dicunt. At illi item λαγόνας, quę nos ilia nuncupamus, παρὰ τὸ λήγειν ἐκεῖσε τὰς πλευράς, ex eo quod inibi coſtę deſinant, dicta uolunt. Et locum qui ſub iliis eſt, partē uidelicet quę penem, & teſtes utrinq; complectitur, βουβῶνας, hoc eſt inguem nominant. Pars uero, quæ pari ordine glandi reſpondet, veſſica nuncupatur, in quam humidum excrementum confluit. Nam, à ductibus naturalibus qui ad lumbos uiſuntur, duobus meatibus recto ſcilicet inteſtino, ac veſicæ, in quā vrina confluit, cōmunicatio quædam intercedit. Ipſa enim veſſica, cum miro quodam acumine in atrahendo prędita ſit, humorem qui in ipſa eſt, à renibus ſubtilium neruorum, uenarúmq; officio quę exte= rius eius dorſo adhęrent, ſuſcipit. Cum vero illum extra emittere cō pellitur, collo eius quo ipſa prędita eſt, per penis glandem, emingit. Et quoniam ſub ipſa inteſtinum quod archon appellatur, conſiſtit, ſi eam in tumorem erigi quandoq; contingit, tum ſicci in hoc caſu, tum humidi excrementi egreſſus intercipitur. Loca autem quę diximus βουβῶνας illi ab rei euentu nuncupāt, παρὰ τὸ βοῦ τὸ βαίνω, eo quod præ ſui tumore ſurſum nō modice erigantur. Quoniā uero talis locus ton ſillis, quas gręci ἀδένας nūcupāt. refertus eſt, quarū natura imbecillis, ac laxa habetur, rerum opifex, ipſas tonſillas quę ad humorē capiendū aptæ, idonęq; ſunt, ad excrementorum uſum, conceptaculaq; tātum modo illic obtexuit, quæ cum præ ſui imbecillitate qua, natura ſunt præditę, talem expellere humorem nequeunt, in tumorem eriguntur. Et quoniam illud euenire plerunq; ſolet, ratione optima huiuſmodi no men ſortiuntur. Veſſicam autem, quàm κύστιν, ἀπὸ τοῦ κεύθειν τὸν οὖρον dicunt, ex eo quod in ipſa vrina reconditur dictam uolunt. Sunt etiā inſtrumenta quędam, quæ mingendi officio inſeruiunt, ut renes, in quibus humidum excrementum diuiditur; nonnulla uero ipſi tranſitū

exhibent; & hæc quidem uasa sunt, quę à iecinore, ad renes procedunt. Nam venę, quæ mediatrices nuncupantur, usq; ad lumbos ferũtur. Sed instrumentum recipiendę vrinę vessica est; excernendę vero eiusdem, vessicę collũ habetur. Ex his autem, uasa illa quę transitum exhibent, vsus tantũmodo gratia, non aliquid agendi constituta sunt. Quædam uero, ut sunt renes, vessicaq;, demandata sibi officia peragunt; in illis enim ipsa vrina, ad debitum sui finẽ, perfectionẽq; euehitur. Loca autem, quæ uessicæ, inguini, ac iliis à tergo consistũt, lumbi appellantur, in ipsis eum renes positi sunt. Siquidem, eorũ substantia, laxa, tonsillarisq; naturæ exiliq; materia quemadmodũ & testium constat. Ad hæc, renes ipsi, tum appetendi coitus, tum depurãdi sanguinis, eo quod serosam eius materiam attrahunt, causa sunt, quam (ut prius diximus) in vrinæ constitutionem formant. Renes autem ab illis νεφροὶ, διὰ τὸ νείφεσθαι τὸν οὖρον, ex eo quod vrinã distillent, nuncupati sunt. At lumbos ὀσφὺν, οἷον ἰσοφὺν dicere consueuerunt, quod peraccõmode, superne, inferneq; ossibus coaptantur. Siquidem, spinę internodia, quę crassiora aliis, maioraq; habentur, quinque numero sunt. Nam internę, angusto terebrata foramine uisuntur, quã ob causam dorsi medulla, quo magis ad ilia prætendit, eo magis gracilis est, ac quo magis descendit, eo magis in angustum contrahitur. Enimuero, hæc spinę internodia, processus sursum uergentes continent, & ὀσφὺς dicitur, quòd locus ille totus ossibus refertus sit: dicitur & ἰσχίον, ἀπὸ τοῦ ἰσχένεσθαι, καὶ οἷον λεπτίνεσθαι. quod videlicet gracillatur, ac subtilis fit, hęc enim pars, erecti corporis subtilissima uisitur. At illud, quod exacte lumborũ mediũ est, quod sedimento supereminet, sacrum os nuncupatur, ob id videlicet, quod magnum sit, (magnum enim sacrum dici solet) siue quod uitæ fatũ optinet, siquidem, eo patiente, animal interitum patitur. Siue, quod uetusto tempore illud os in sacris præsertim offerri Diis consueuit. Ipsum autem os, spinæ modo dictis uertebris, similitudine quadam respon-

det. *Eius autem processus, qui in obliqua tendunt, magni, latique sunt, qui, & caua in se continent, quibus iliorum ossa superne coaptantur.* Huic autem ossi, *aliud os latum, chartilagineum, ac breue* κόκκυς *dictum subiacet, quod à nonnullis cauda dicitur, quam illi* οὐρὰν *appellant, sed non id prudenter asseuerant, cum hæc appellatio magis in aliis animalibus, quàm in homine conueniat, ut* Homerus de Leone *loquens.* οὐρῇ δὲ πλευράς τε, καὶ ἰσχία ἀμφοτέρωθεν μαστίζεται ἑὲ δ' αὐτὸν ἐποτρύνει μαχέσασθαι, *quod facit.* Et *latera, & costas feriens dum percit utrinque,* Ad *pugnas semper stimulat se verberæ caudæ. Siquidem, (ut* Galeuus *asseuerat) tale os* κόκκυξ, *hoc est cuculus dicitur, à uoce videlicet de sono factitia, eo quod crepitus qui inde per sedimentum exeunt, in hoc os offensi, cuculi uocis similitudinem effingunt. Siue, quo tale os sedimento adglutinatum sit, quòd illi* κολλᾶσθαι *dicunt,* ἐκ τοῦ κόλλαξ, κόλον. *& ab his deriuatum* κόκκυξ. *Illud uero os colon appellatur, quod mutilum, seu decurtatum, nec perfectum diceres, ut* Homerus τῆλ' αὐτὸς χειρὶ κόλον δόρυ, *quod facit,* Nam *procul hic mutilam uersabat concitus hastam.* Podex *autem, & anulus dicitur, quod ad anuli similitudinem, rotundum, atque angustum foramen optinet.* Os *item illud* σημαντὴρ, καὶ σφιγκτὴρ *nuncupatur, eo quod in crepitu spiritus egressum denunciat. Sunt qui illud os, ob id cuculum denominatum uelint, quod ut cuculus ueris, & gallus, diei aduentum denunciant, ita per ipsum spiritus emissio significatur.* At, *sedimentum ipsum* ἕδρα *appellatur,* παρὰ τὸ ἑδραῖον τοῦ τόπου, *à loci videlicet firmitudine, ita dictum. Siue,* παρὰ τὸ ἕω, τὸ καθίζομαι, *quod sedere diceres, unde & cathedra, nomen sumpsisse recte uidetur.* Corpora *uero, quæ ad testes, & glandem ipsam accedunt, his nominibus nuucupantur.* αἰδοῖα. βάλανος. καυλός. συριγγῶδες νεῦρον. ψωλή, καὶ κύπρις, *videlicet pudenda, glans, caulis, neruus fistularis, penis, & venus.*

αἰδοῖα vero, hoc est pudenda, hac de causa dicuntur, quod ea detegere, & nominare absque temporis, & causæ ratione pudore cõficimur. at cutis ipsa quæ penem tegit, preputium in quam, ab illis πρόσθεμα, καὶ πόσθη denominatur. πόσθη quidẽ, διὰ τὸ ἐπικεῖσθαι, καὶ προστεθεῖσθαι quod superposita, ac superaddita ibidem consistant. πρόσθεμα uero διὰ τὸ προστίθεσθαι, quod unà cum glande coitus tempore in fœmine genitale imponatur. vel διὰ τὸ ὧδι τὰ ἐμπρόσθια μέρη εἶναι, hoc est, quod in anteriori parte situm habeat. βάλανον autem, glandem ipsam ob id dictitant, quod glandis similitudinem illa pars præ se ferat. ψωλὴ vero penis, ob id dicitur, παρὰ τὸ ψωλέω, at humore uidelicet, siue, spiritus emissione, quia cum tali natura prẹditus sit, tunc maxime in tumorem erigitur, cum Venereorum cupidine exagitatur. Siue inde dictum uolunt, ἀψῶ, quod est tango, & prurio, nam præ eius tactu, pruritus quidam uoluptatis in eo sentitur. συριγγῶδες νεῦρον, hoc, neruum fistulare ob id dictum putant, quod in tactu quemadmodum fistula nĩ nunquam crescit, quãdoq; uero minuitur. Sed & καυλὸς, penis nuncupatur, ob sui longitudinem caulis nomen desumens. Hæc enim de causa, natura eum in longum protensum constituit, uti quasi è funda, ab ipso, genitale semen, in vuluam eiaculetur, ne scilicet, si aliam haberet formam, exterius manendo, sterilitatis causa efficeretur. Hoc autem membrum, undiq; neruorum, musculorúmq;, atq; arteriarum copia præditum est. Siquidem, duplici officii functione utitur, altera, genitalis seminis eiaculandi, altera humidi excrementi excernendi munia peragendo. Vrina autem sanguinis defẹcatio, siue totius alimenti serosa materies est. At testes illi, ὄρχεις, καὶ μήδεα nuncupant. Et μήδεα quidem, ob id dicunt, παρὰ τὸ μήδειν, καὶ ἄρχειν τῆς γενεᾶς, quod uidelicet generationi præsint, ac dominentur. & huius appellationis nomen ad Homerum auctorem refertur, qui ait. μήδεα δ' ἐξερύσας δώσω κυσὶν, quod facit, desectos testes canibus dato. Cutis autẽ crispa, quæ ipsos ambit, ὄσχεος, id est scortum dicitur. ἀπὸ τοῦ πόσκει

πειν αὐτὰ, ideſt, quod ipſos tegat, veletq;. Ipſum enim ſcortum, teſtes, meatúſq; genitali ſemini accõmodatos, & eiuſdem ſeminis uaſa, auxiliaremq; tunicam, & teſtium membranulam, uniuerſa hæc comprehendit. Nam græci teſtes ipſos huius gratia ὄρχεις dicere conſueuerunt, quod appetitu ad Venerea, quod illi ὄρεξιν dicunt, ſuggerãt. Vel quaſi ἔρχεις, hoc eſt acceſſus, εἰς οὓς ἔρχεται ἡ γονὴ, quod uidelicet genitale ſemen in eos perueniat. Subſtantia aũt teſtium, tonſillaribus referta carnibus, & rara eſt, qua ad genitalis ſeminis genitiuã uim, natura conſtituit. Nerui autẽ ipſi, quos natura ad genitale ſemen delegauit illi ſunt, à quibus teſtes depẽdent; qui cremaſteret dicũtur, quiq; membranæ quę dorſi medullam cõplectitur proceſſus ſunt, qui quidẽ proceſſus cum uenis arterialibus, teſtibus acclinantur. Nam ſemen genitale illi σπέρμα dicunt, quod talis animalis gignendi, quale eſt illud à quo ſecernitur, ſparſam in ſe facultatis perfectionem contineat. Vaſa itaq; ſpermatica, uenæ ſunt, à caua uena procedentes, quę ſpinę à ſummo ad imum uſque ſuperne applicatur. Ex ipſis autem uenis, teſtibus alimentum ſuppeditatur, & illę ſunt in quibus primum ſeroſus cõmutati ſanguinis humor, quemadmodum in papillis mulierum lac progeneratur. Itaque, arteriæ, uenęq;, quæ in teſtibus ſitæ ſunt, alimenti eis ſuggerendi gratia ſanguinem concoquendo, in ſeroſum humorem cõmutant. quod eorum principium, ad ſemen genitale refertur. Nam, quęcunq; ex ſemine gignuntur, ex eodẽ ſibi & alimentum uendicant. Eodem pacto, & de his quæ ex ſanguine gignuntur, accipiendum eſt. Hæ venę igitur, atq; arterię, ex ſemine gignuntur, aluntúrq;, & portio quæ inde exuperat, in geniturã uertitur. Enimuero, venę, arteriæq;, quę teſtibus acclinantur, coitus cauſa hoc pacto efficiuntur. Nam dum per renes procedunt, acrimoniam quandã, coeundi deſyderium mouentem, excitant. Quemadmodum enim acrimonia illa, pruritus, eodem pacto, & coitus deſyderii cauſa exiſtit. Et quoniam teſtium caro mollis admodum habetur, cum ad cutem

eorum plurimam acrimoniam adigi contigerit, furioſa ad excernendum ſemen cupido innaſcitur. Et primum quidem huiuſmodi ſemen ad caput defertur, à capite uero, geminis uenis, ac totidem arteriis denuo infra delatum deſcendit: Et altera ex his quas diximus uenis, huiuſmodi ſemine repleta, teſtibus, cum arteria acclinatur, in quibus ipſum, ad perfectam geniturę naturam redigitur, & quod per vaſcula, ad vtris ſimilitudinem, quæ eius continendæ gratia natura conſtituit, ab teſtibus in penem immittitur: inde uero ueluti è funda lapis cum ſpiritus impetu extra proſilit. Hoc autem, ob eam quã prius adduximus cauſam, efficitur, tum quod, & arteria ipſa illud circummittit. Quod uero ſemen prius ad caput feratur, ex hoc perſpicuum fit, quia, ſiquis quæ ſecus aures conſiſtunt uenas quę carotide appellantur, quibus obleſis, uertiginoſi, ac ſtupidi homines efficiuntur præſcindat, reſecetq;, animal improlum, infœcundúmq; redditur. Etenim tunica, quę auxiliaris nuncupatur, quæq; ad inguem conſiſtit, ac teſtes ipſos geſtat, in quam genitalis ſeminis uaſcula deferũtur, tota neruis obſita eſt, & ipſa non modo conuexæ teſtium ſuperficiei, ſed & anteriori eorundem parti adhæret. Hæc enim auxiliaris tunica, περιτοναίς, hoc eſt abdominis proceſſus eſt; hoc enim eſt, quod aluum, inteſtinaq; complectitur, eiſq;, (uti prius aſſeruimus) obducitur. In eius autem que infra ſunt partibus, quidam proceſſus, quaſi ſinus, ad crumenę ſimilitudinem uiſuntur, quorum, alterum quidem ad dextra parte, alterum uero, à leua, in quibus teſtes continentur, conſiſtit. In ipſos inquam ſinus, genitalis ſeminis de quibus iam diximus, uaſa extrinſecus concidunt, & genituram ad teſtes deferunt. Cum autem hanc auxiliarem, crumenalem uidelicet tunicam, nobis aliquid magno efficere molimine, aut pondus attollere immenſum, ſiue ſaltu, aut curſu, vel voce alterum ſuperare conantibus, vel alio quopiam caſu, à ſuo moueri ordine contigerit, inteſtinum, in riuum eo quòd auxiliari tunicæ acclinatur, infra meat, vnde ſcilicet hominem, inteſtinalis

hernia

hernia inuadit. Siquidem, tunica hæc græce ἐρυθρὸς *appellatur, à verbo* ἐρύκω, τὸ βοηθῶ, *à ferendo videlicet ſubſidio, nam teſtibus cum ab ipſa pendeant ſuppetias adeſt. Siue à latitudine ita appellatã dixeris, quod illi* εὐρὺς εὔρυτος, καὶ ἐξ αὐτοῦ ἐλυθρὸς ὁ πλατύς, *quod eſt latus nuncupant.* Hinc *ſiquidem auxiliari tunicę, membranæ quædam conglutinatæ adhęrent, & hac de cauſa hæ* δαρτοὶ διότι δέρματος ἔξωθεν εἰσί, *quod videlicet extra pelliculam ſint, nuncupantur. neq; enim abſq; medio aliquo teſtes ſcorto applicantur, ſic enim rigori peruii redderentur, ac ab æſtu laxiores magis, remiſſioreſq; fierent.* F*œminis autem, natura ipſa cuncta intus quæ maribus extra largita eſt, & vnam amplius partem ſeruandi puerperii gratia, quæ vulua nuncupatur, tradidit.* In *ipſa nanq; vulua, geminos uentriculos, à dextera alterum, alterum à leua parte, in quibus partus ſuis numeris abſolutus redditur, fœminæ optinent, & in dextera parte mares, in leua uero fœminæ (ut* Hippocrati *placet) gignuntur. Sunt autẽ, qui fœminam plures duobus uno partu edere poſſe autumant.* A*d hæc, fœminę ipſæ, mares papillarũ magnitudine exuperant, in quibus lac, quo ipſi carent conſtituitur; in reliquis uero omnibus, fœminę maribus æque reſpondent; pręterquam quod in genitalibus membris, diſcrimina quędam manifeſta uiſuntur.* M*as autem, non modo neſcio quid uirile, in ipſis genitalibus membris præſe fert, verum etiã in uiribus, aſpectu, moribus, nec non robore, maiore quam fœmina prædi tus eſt, quę quidem uniuerſa fœminis à prima conſtitutione natura abſtuliſſe uoluit, cum imbecilliores, omni prorſus amoto diſcrimine, maribus habeantur. quod autem, naturale quoddam, inter marem, & fœminam diſcrimen ſit, phœnix eſſe argumento poteſt. Sunt qui virilem uim in teſtibus eſſe opinantur, inde uidelicet argumentum ſumentes, quod in eorum abſtractione, mares effœminari contingit, ac ceu in fœminarum naturam conuerti, cum tales, & barba careant, & naturę ui, procreandę ſobolis facultate priuentur. quam obrem, Gre-*

gorius Theologus, ipsos, ambigui generis homines nuncupat. Præterea, & uirilis uocis usus ipsis aufertur, ac pluribus in negotiis peragēdis, nihil prorsus, à fœmineo sexu discrepant. Sed iam de fœmorum, pedúmq; partibus orationem missam facientes, ad manuum explicationem dirigamur. Etenim, in omni aliorum animaliũ genere, anteriora corporis membra, pedes sunt, eo quod in curuũ quod in ipsis est, sustentaculo indiguit. In humani uero corporis structura, pro anterioribus animalium cruribus, manus habentur. Cum autē homo erecto feratur corpore, satis quidem ad gressus tutelã, geminorum pedũ usus faciunt. Ad hęc, rationis usibus, manuum officia obsecundant, nam manus ipsas, rationalis naturæ instrumentales partes recta ratione appellares, non modo quòd cõmunibus quę apparent rebus munia solertissime omnia peregant, uerum etiam apto ipsarũ ministerio, cogitationis nostræ, quandocunq; acciderit, per literarum usum ostendimus: & hoc quidem, rationalis natura munus sortita est, quod summi rerum conditoris gratia, per literas abscentes alloqui nobis est datum, & nescio quo pacto, manuũ officio in disputationibus uti, cum ad literarum figuras uoces accõmodamus. Verum enimuero, cum ego ad cæteras partes (Missenus Gregorius inquit) manus ipsas, enunciandæ voci obsecundare comperio. Si enim, in rebus peragendis, quę ad uitam attinent, innumeros horũ tam aptorum instrumentorũ vsus recensere accingerer, uniuersas quę ab ipsis efficiuntur artes, ac belli, pacisq; cõmoda, complecti necessarium esset. At qui ipsas, orationis præsertim gratia, Deum ipsum corpori nostro adhibuisse credendum est. Si autem ipsarum, hominē expertem esse contigisset, in cibo capiendo, brutorum instar motum perageret. In brutis enim (ut cernere est) faciei partes, forma in longum porrecta protenduntur, ac in nares acuminantur. Ad hęc, ipsa oris labia, in promuscidem distenduntur, quę callosa, stabilia, & crassa sunt, quo scilicet ad vsum euellendę herbæ sufficerent. Adiacet autem dentibus, quod subdentile fa=

ctum eſt, & neq;, ut in hominum genere, mollis lingua, ſed carnoſa ad modum, & quæ reluctet, atq; aſpera eſt, quæ ue cum dentibus cō= muni officio fungitur. Subdentile uero, illud eſt, quod ad obliqua ex= panditur. tale in canibus, cunctiſq; aliis quæ crudis ueſcuntur carni= bus inſpicitur. Si igitur corpus hominis manibus careret, quorſum, in oris partibus, articulatæ vocis conſtitutio, cum in exequendis, quę ab ore eduntur, inſtrumenta deficerent? Itaq;, aut ouium balatum edere, aut ut caprarū genus micare, ſiue ut canes lutratu uti, aut equo rum more hinnitum emittere, uel bouum mugitu, ſeu ruditu aſinorū, implere auras, aut aliquid ferinum ſonare, neceſſe eſſet. Sed, cum in= effabilis Creatoris ſapientia, manus corpori adhibuerit, facile quidē, manus oriipſi ad orationis miniſterium ſufficiunt. Etenim Muſicus, dum cantu vtitur, manus geſticulationem ad uocis ſonum accomodat; & uiciſſim, quę manu figurat, eadem uocalibus inſtrumentis emodu= lando perſpicua reddit. Sed & in Choris pſalentes, & qui ipſis præ= ſunt, niſi manuū geſticulationes Pſalmorum tono accomodent, quæ comitari pſalentes ipſos videantur, riſibile de ſe ſpectaculum præbēt. Ad hęc, qui ſe exercere in diſputationibus ſolent, manuū motu utun tur, quo quidem argumento probatur, rationalis naturę, ad ſenſus pręſertim exprimendos, peculiare quoddam inſtrumentum manus ipſas eſſe. Quapropter, Dauid loquitur, redde eis domine ſecundum opera manuum ſuarum. Sed & alius Propheta inquit, ſi inique egerint, ob praua manuū ſuarum opera, condigna ipſis euenient. Non enim Pro phetæ de his, qui querendi alimenti gratia, vel conſequendi in pluri= bus emolumēti, manus exercent, ſed de iniq; agentibus, ea quę rettu limus innuunt, quapropter, mentis actiones, per manus ipſas expri= muntur. Itaq;, ad principii motum, & inſtrumenta ſubſequi neceſſa= rium eſt. Manus autem ab ipſis χεῖρες, ἀπὸ τῆς χρήσεως, ab utili ui= delicet uſu denominantur, ὡς ἀεὶ χρεῖαι οὖσαι, quaſi uſibus neceſſa rię ſint, nulla enim ars perfici abſq; manibus poteſt, vt eſt apud Ho=

merum. χειρῶν ἀπολλυμένων ἔῤῥει πολύεργος ἀθήνη, quod facit, desectis manibus pereunt quoque palladis artes. Siue χεῖρας inde dictas volunt, παρὰ τὸ ῥᾷον χρεῖσθαι, quod res facile agant. vel ab ἴσχω τὸ κρατῶ, quod capio, ac retineo facit, quia ad res continendas, earum officium, idoneum habetur. Siue ἀπὸ τοῦ διαχεῖν τοὺς δακτύλους, quod videlicet digitorum ordo diffusus inuicem distet. Vlnas autem quas illi ὠλένας dicunt, inde videlicet dictas uolunt. ἀπὸ τοῦ δι' αὐτῶν ὠλοῦσθαι τὰς πράξεις, ἢ πληροῦσθαι, quod videlicet ipsis opera peragantur, perficiantúrque. Quædam autem manus pars, brachium, quædam, cubitus, alia uero uola, alia dorsum manus, alia palma nuncupatur, a qua digitorum processus est. Et brachium quidem quod illi βραχίων, quasi βρακίων, quod breuem interpretareris, dictum uolunt, nam brachii os, fœmoris osse breuius habetur. Ipsum nanq; brachii os, utrinq; dearticulatione coniungitur, sed qua ad humeros accedit, in caput adnata appendice, moderatæ magnitudinis excrescit. Finis autem eius inferior, in impares flexus desinit, & qua exterior flexus est, ossis radialis caput conseritur, qua uero interior omnino nihil. Est autem in interiori brachii fine concauitas, quæ trocleæ similitudine respondet, circa quam cubitus mouetur, & intus in ipsa, aliud cauum uisitur. Hæc siquidem caua cubiti, acutos processus, quos corones nuncupant, suscipiunt. Et cum cubitus ad interiora flectitur, anterius cauum, anteriorem coronem; præ cubiti uero extensione, illud quod exterius est, exteriorem desumit. At brachii caput, cum humeralis ossis cauo, dearticulatur. Humeralis ossis processus, qui ancoræ formam optinet, humero ipsi assurgit, huic uero musculus, qui biceps nuncupatur, accumbit, à quo nerui ad humeri cacumina, & qua clauicula dearticulatur, prætendunt: Ex anteriore utriusque humeri cacumine nerui sunt, qui tendones appellantur, à quibus tota humeri moles sustentatur. Sunt & alii duo tendi, sub

humero illic positi, ubi ala situm optinet, ex musculis constitutionem habentes; quorum alterum à pectore, alterum uero à parte posteriori, à brachiis ipsis, ad ulnas usque, natura explicuit, qui manibus, ut quorsumlibet conuerti queant, sui officium exhibent. Alam uero, quam illi μασχάλην nuncupant, inde dictam uolunt, quod ea quæ continet, satis admodum recondita ab ea foueantur. Vel quod in papillas laxatur, quod illi εἰς μασθοὺς κεχαλᾶσθαι dicunt, ubi musculus ille demittitur. Siue ἀπὸ τοῦ μασεύειν τὶ ὑπ᾽αὐτῆς, quod quærere aliquid sub ipsa diceres. Siquidem, cum abstulerimus quippiam ab aliquo, oculere sub ipsa solemus. Enimuero, brachii os, ad ulnam usque unum habetur, dehinc cum cubito copulatur, ac simul coit. Os uero, quod radii textoris similitudinem exprimit, à superiori parte, ad imum usque qua palmæ iungitur, cubito cohæret. Cubitus uero, qui ab eis πῆχυς dicitur ἀπὸ τοῦ πεπηγέναι ἄκρῳ τῷ βραχίωνι inde appellatum diceres, quod extremo brachii compactus sit. Et cubitus quidem, radiali osse maior habetur, sub ipso enim radiali osse, cubitus est, sic vt tale os, policem uersus dirigatur, cubitus uero, ad auricularem digitum tendat. Hoc nanque radiale os, κερκὶς, ab edendo videlicet crepitu, nuncupatur. Siquidem, cubiti os, cum radiali osse, vtrisque finibus, terminisque, ligamentis admodum ualidis, colligatur, intercapedine uero, quæ de medio est, ab inuicem penitus distant. Tendi autem prælongi, cum musculis, circa ossa ipsa orbiculatim implicati, ab animali motu impetu capto, motiuam uim, actionemque manibus exacte prebent. Nam quę à neruis, musculisque (ut diximus) mouentur, cuncta animalium facultatum sunt, atq; ad uoluntatis nostræ arbitrium perficiuntur. Ex anteriori uero manus parte, ad eam quę cubiti, & brachii constitutionem est, tres venę, ac arteriæ, qua brachium, & cubitus copulantur, multifido tractu tendentes, ad digitorum radices desinunt, quarum

altera humeralis eſt, quam & caualem dicimus, media altera, tertia interior eſt. Nam quæ media eſt, vniuerſalis appellatur, quemadmodum & illa, quę interior eſt, lienalis dicitur, cui arteria etiam proxima eſt. Vniuerſali enim venæ neruus, quemadmodum lienali, arteria ſubeſt, quapropter, in venę ſectione animanduertendum eſt, ne neruus ipſe incidatur. Sciendum quidem eſt; interiorem lęuæ, à cerebro procedentem lieni applicari, dexterę vero, à iecinore prætendi; at media, quę maxima habetur, ab utroq; corpore dirigitur. Hę autem tres venę, ab interiore brachii parte, ad brachialis loca, in plurimas quæ ſimul cõmixtæ ſunt venulas, finduntur, ita & exterius, tũ ſimul, tum cum his quæ ab interiori parte ſunt, in unum coeunt, & diuiduntur. Eædem enim ſub tota cute, quę ad brachiale, & poſt brachiale, ac digitos eſt, prætenduntur. Eandẽ & in pedibus figurã cernere eſt; nã et in his venę quæ à renibus proficiſcuntur, multifido, uarioq; ordine deſinunt. In loco igitur in quo os radiale, & brachiũ terminantur, brachiale eſt, quod græci καρπὸν dicunt. Ipſam aũt partem, octo quædam gemino ordine conſtructa oſſa conſtituunt, & hæc quidem dura, paruaq;, & medullę expertia, & multiformia, habentur. Nam partim gibba, partim ſima, partim recta, partim orbiculata ſunt. Omnia autem ad inuicem chartilagineis neruorum ligamentis, per coarticulationem iunguntur. Superior autẽ brachialis pars, cum radiali oſſe, ac cubito dearticulatione iungitur. Quæ uero infra exiſtit, quatuor ipſis oſſibus quæ eius peculiaria habentur, inferiori poſt brachialis parti coarticulatur. Et ipſa quidem pars, quę poſt brachialis dicitur, quatuor oſſibus conſtat. Qninq; autem digitorum oſſa, quindecim numero habentur, quippe qui, triſurculari, ſiue triuirgulari ſunt ordine (utroq; enim modo dicitur) conſtituti. Manus igitur dorſum, poſt brachiale eſt, pars uidelicet illa, quæ à tergo palmę conſpicitur. Brachiale uero, quod ipſi inferius eſt, in quo quidem, anteriori, ex parte arterię locantur, ex quibus pulſatilem motu deprehen-

dimus. Compoſitio itaq; oſſium torius manus, huiuſmodi habetur. Brachium, cubitus, os radiale, octo brachialis oſſa; poſt brachialis quatuor: quindecim digitorum, qui tergemino uirgulari oſſium ordine conſtant, & hęc ſimul omnia triginta numero ſunt. Anterior autem poſt brachialis pars, palma eſt, quæ gręce παλάμη dicitur, aliter ipſam θέναρ dictitant. Et palmā quidem hac de cauſa παλάμην appellatā putant, ὅτι δι᾽ αὐτῆς πολλὰ πεπαλήμεθα, καὶ τεχνόμεθα, quod uidelicet ipſius officio plurima capimus, ac perficimus, quę res, in omnibus quæ per nos efficiuntur perſpicua redditur. Vt Homerus. πάλλεν δὲ γερήνιος ἱππότα νέστωρ, quod facit, Neſtor eques poſitas concuſſit caſſide ſortes. At qui & θέναρ dicitur. διὰ τὸ θέσεως εἶναι χωρίον, quod poſitionis locū eſſe interpretareris, cum in ipſa quæ dari ſolent, imponantur. Vel διὰ τὸ δι᾽ αὐτῆς θένειν, ὅ ἐστι τύπτειν, quod per ipſam ictus, ac uerbera infliguntur. Digitos uero duplici de cauſa δακτύλους dixerunt, altera διὰ τὸ δράττεσθαι, quod apprehendere, ſiue continere diceres, altera uero, διὰ τὸ δείκνυσθαι δακτύλους, quod videlicet in demonſtrandis rebus eorum officio vtimur. Nam magnus digitus, polex dicitur; qui vero ab ipſo proximus eſt, index, dehinc, medius, ab hoc medio proximus, qui uero ſequitur paruus eſt. Magnus quidem digitus ἀντίχειρ hoc eſt manui oppoſitus; vel quod aliis ex aduerſo conſiſtit dictus, ſiue quod de reliquis totius manus digitis præpolleat; iners enim omnium digitorum operatio ipſo deficiente efficitur. Indicē autem λιχανόν dixerunt. ἀπὸ τοῦ ἐλέγματος, quod, contorquendo quippiam ipſo utimur. Omnes nanquę digiti, ternis calamis conſtant. Et primus quidem articulus, procondilus, ideſt primus calamus dicitur, ab ipſo uero, proximus, ſecundus; at tertiū, qui cum ungue annumeratur, poſteriorem calamum dictitant. Os autem quod in digito eſt, κόνδυλον, οἷον κοῖλος τίς ὤν, ob id dictum condilon uolunt, quod, præ flexu eorum vacuum quoddam efficitur. Qui autem à palma, digitiſq; in faciem, ſiue aliam corporis partem,

ictus infligi ſolent, κόλαφος dicitur, ἀπὸ τοῦ κολάψαι τὸ μέρος τὸ πληττόμενον, à quatiendo videlicet illud quod percutitur. vnde δενδροκόλαφος, picus videlicet martia auis, quia roſtro arbores quatiat ita appellatur. Sed & in Euangelio legitur. Ieſum à Iudeis colaphis ceſum. Sciendum quidem eſt, cum quatuor in rectum contrahuntur digiti, menſura quatuor digitorum quæ ab illis παλαιστὴ dicitur, οἷον πελαστὴ, quod propinq; ad inuicem digiti conneniant. Vel ipſi δῶρον idem dixerunt, à donando, quod illa parte manus in muneribus largiendis utimur: uel quod huiuſmodi digitorum menſura, tertia videlicet palmiportio, doron dicitur: vt apud Homerum eſt, qui ait, τοῦ κέρατα ἐκκεφαλῆς ἑκκαίδεκα δῶρα πεφύκει, quod facit. Sex illi, atque decem palmorum cornua ſurgunt. Nam, cum palma ipſa in concauũ coit, κοτύλην, quod nos acetabulum dicimus nuncupat, vnde & humorem, acetabuli menſuræ, acetabularem dicere conſueuimus. Cum autem polex quàm maxime fieri poſſit ab minimo digito diſtenditur, palmi menſurę conſtitutio fit. Siquidem palmus σπιθαμὴ à græcis ἀπὸ τοῦ σπασμὸν ποιεῖν τῶν δακτύλων, quod videlicet digitorum expanſionem efficiat, ſiue quod totam manum diſtrahat, nuncupatur. Palmus autem, trinam quatuor inuicem coeuntium digitorum quod eſſe δῶρον diximus menſuram efficit, in qua digiti duodeni numerantur. At ſi policem quam maxime ab indice extenderis, denum digitorum menſura reſultat, quam gręci μετακονδύλιον, nuncupant. Verum, quod ab vlna, ad medium digitum ſpatium intercedit, πήχεως μέτρον cubiti menſuram appellares. Nam ipſi vlnam, ἀγκῶνα dictitant, ἀπὸ τοῦ ἐγκεῖσθαι τῷ ἑτέρῳ ὀστέῳ, quod videlicet alteri oſſi inſideat. vel παρὰ τὸ ἀνέχειν, à geſtando uidelicet, ſuſtinendoq;. At cutibus πῆχυς ab ipſis, ἀπὸ τοῦ πεπηγέναι, quod compactum, conglutinatúmq; eſſe diceres. Vel παρὰ τὸ χεῖσθαι ἄκρῳ τῷ βραχίονι, quod ab extremo brachii, quaſi fluxus quidam ſit. Cum manum utranq; in obliqua extendi accidit, paſſus nuncupatur, illi ὀργυῖαν denominarunt,

narunt, διὰ τὸ ἐκτείνειν τὰ γυῖα, quod videlicet manuum membra distendat. Vt Homerus inquit. γυῖα δ᾽ ἔθηκεν ἐλαφρὰ πόδας, καὶ χεῖρας ὕπερθεν, quod est, membra leuis altu pedibus superaddita mouit. Nam passus, quater nos cubitos pectoris latitudine addita continet. Manus autem ipsę quantumuis magnę existentes, si infra extendantur, ad genua usq; demitti non poterunt, sed ipsas deficere manifeste inspicies. Manuum autem finis, & neruorum qui in digitis sunt, ungues habentur, qui duplici de causa constituti sunt, altera decoris gratia, altera uero, quod digitis ipsis in rebus capiendis expeditior facultas adesset. Vnguis græce ὄνυξ οἷον ἄνυξ, ὁ ἀνοίγων τὴν σάρκα ἐν τῷ φύεσθαι, quasiq; aperiat carnem, cum in sui ortu ipsam aperire cernatur. Vsus enim unguium nobis, tum in rebus capiendis, tum in scalpendo, cum cutis acrimoniam distrahi necesse est, accomodatur. Et cum ipsi quidem ungues in extremo digitorũ retro consistant, robur quoddam ad res capiendas digitis impertiuntur. Enimuero, pluribus animalium ungues ipsi, ut in aduncis, & plerisq; ex quadrupedum genere uisitur, quasiq; irascibilis partis instrumentum sint, ulciscendi gratia insunt. In aliis uero, ut equis, cæterisq; omnibus, quibus natura solidam ungulam largita est, propulsandæ iniurię, & gressus stabiliendi causa, ungulæ existunt. Vngues autem iugi, assiduoq; incremento augentur, & cum deciderint, denuo renascuntur: vnde nonnulli opinantur, in recte compositis corporibus, fato etiam functis (quod & de pilis creditur) vngues ipsos incrementum adipisci. At non parem longitudinem, digiti inuicem sortiti sunt, quod ita decori magis respondeant, & ad motum aptiores redduntur. Si enim in æqualem finem desinerent, non modo incongrua, indecensq; eorum constitutio esset, verum etiam ad res peragendas inconcinna admodum, imbecillisq; videretur, cum in capiendo, unà omnibus expari rebus applicati, eos, à proposito fine plerunq; frustrari accideret; sed in eo quòd sunt disparis longitudinis, ossiculis natura in longum inuicem cohę-

rentibus composuit, quo omnes alter, alteri ministrato subinde robore, magis contento tactu, accomodatioreque uterentur, ac in quolibet actu vniuersi fortiores euaderent. Nam altera manus δεξιὰ dextera scilicet, altera uero ἀριστερὰ, καὶ λαιὰ, sinistra videlicet, & lęua nuncupatur. Et lęua quidem ἀπὸ τοῦ λελεῖφθαι, ὅ ἐστι κεχωρεῖσθαι τῶν πράξεων, quod uidelicet operibus, si dexterę conferatur, ob rudem sui naturam, priuetur. ἀριστερὰν uero, οἷον οὐκ οὖσαν ἀρίστην, quasi quòd non egregia, optimaq; sit, sed quæ in dexterę obsequio, ac ministerio consistat, & quę dextera deficiente, eidem cōparari nequeat. Hæc aūt & σκαιὰ dicitur παρὰ τὸ σκάζειν, quod claudicare interpretareris, quia in rebus peragēdis ipsa per se claudicet. siue διὰ τὸ σκεάζειν, quod aberrare est, unde et hō σκαιὸς, qui mēte non satis integra, sed errēti, ac leua pditus est dicitur. Alterā uero δεξιὰν ἀπὸ τοῦ δέχεσθαι, illi dictitant, quod maiori ex parte quæ nobis dantur cum ipsa accipimus. vel inde dexteram nuncupant, ἀπὸ τοῦ δεξιοῦσαι δι' αὐτῆς τὰς πράξεις, eo quod ipsa plurimas res agamus, ac complectimur. Pleriq; enim ἀμφοτεροδέξιοι, idest ambi dextri appellati sunt. quoniā in rebus peragendis, nō secus lęua, ac dextera accōmode utātur. At quidam, impedito dexterę officio, lęua in artibus perficiendis strenue utuntur; unde euidentissimum argumentū habetur, dexteram lęua potiorem neutiquam esse, ut rusticorum quidā opinati sunt, sed ita ob eruditionem, & ruditatem ipsas habentium, à primo earum principio, sub hac appellatione demonstratę sunt. Interiora autem manuū, digitorum præsertim, ceu gnomonas quosdam ad tactum sortiti sumus: quibus, quod lęue, asperum, equale, & inequale est accurate deprehendimus. Homo autem præter alia animalia tali sensorio exactissime præditus est. Non modo autem rerum opifex, manus ipsas, instrumentum ad res capiendas, uerum etiā ad tactus usum, cōstituit, hac de causa, ipsis exilem cutem, musculosq;, interius super induxit, quam partem pilis etiam uacantem esse uoluit, quo quamprimum om

nis generis res deprehenderent. Siquidem manus, quę asperiores sunt ut agricolarum, ac remigum, fortiores, ualidioresq; habentur, in tactu uero tardiores, hebetioresq;. Quę vero molliores, quales scriptorum, sutorúmq;, debiliores sunt, ac tactu exactiore utuntur. Sed et nerui quidam, in motu asperiores, in sensu uero molliores sunt; & qui molles sunt, ad tactum magis accomodantur, illosq; tactus esse instrumenta dicimus. Horum nanq; instrumentorũ officio, calidum, ac frigidum, humidum, & siccum, & quę ista sequũtur, per sensum tactus cognoscimus. Et hæc quidem sunt quæ à prima cõstitutione, natura, & disciplina manibus ipsis insunt. Quæ vero ad totum corpus, respe 1
ctu quodam manibus insunt, quẽ amorem recte appellari decet, ne rerum quidem naturæ ignaros latet. Nam, cũ pedis digitum in lapidem impingi contingit, tunc primum manus ibidem occurrens, complectendo, fouendoq; doloris locum solari nititur. Si uero pes spina cõmpungitur, manus ipsa solerti, atq; actuoso motu sese circum undiq; agendo, educere illã satagit. Si quando capiti nostro pediculus, siue dorso pulex aculeum inflixerit, vlciscendi eius gratia manus occissime fertur. In summam autẽ dicendũ est, quòd quancunq; corporis nostri partẽ, uel perspicuo, uel abdito dolore premi contigerit, manus ipsa, hinc, inde locum pertrectando, non nihil opis afferre studet. Siquidem, sum 2
mi Creatoris prouidentia, omnium actionũ, ac cuiuslibet accomodati motus, ad solamen tam nostri, tum aliorum facientis, primitias manibus largita est, ita ut non facile sit singillatim omnia percurrere.

Sed à tam uario manuum opere, ad pedum constitutionem, & concinnas admodum, officiosasq; actiones consyderandas transeamus; quo nã pacto rerũ opifex pedes ipsos, instrumentum, ad corporis transitũ delegatum, constituerit. Tum quomodo, horum officio loci mutationem motu transitus peragimus. Nam transitus motus, qui in omnibus totius corporis partibus est, cum impetu fit, in quo officio, principalis animæ partis uis dominatum optinet. Spiritus uero, qui in neruis, 3

muſculiſq; inſitus eſt, miniſterii officium explet, qui unà cũ illis contenditur, mẽbraq; ipſa circumagere nõ deſinit. Enimuero, motiua illa facultas eſt, quæ, corpori ceu uehiculo inſidens, in neruis, muſculiſq;, actiones ſuas oſtendit. Ipſa aũt motiua facultas, utpotè animę uis, totum corpus noſtrum uehit: ſed & illa uiciſſim, pedibus tranſitus munia peragentibus, à corpore vehitur. Nam prius à nobis demonſtratum eſt, quòd quæcunq; per neruos, muſculoſq; mouentur, ex animæ facultatibus ſunt, atq; ad noſtri arbitrium peraguntur. Pari modo etiam animaduertere oportet, quemadmodũ inſtrumentalia, cum magnitudine, forma, numero, ſitúq; conueniunt. Niſi enim manus ad capiendũ idonea fuerit, (quemadmodum nuper explicauimus) haud rectè agi cum ipſa dixeris. Et niſi digiti ipſi omni ex parte perfecto ſui numero, neq; deficienti, neq; excedenti conſtiterint, uiciatos cenſebis. Sed & uti figura manus conueniat opus eſt, & digitorũ impar ordo, ei decorem adferat: ſed neque longiorem ipſam quam par ſit, neq; breuiorem eſſe oportet. Præterea, & quod ad ſitum attinet, uti ipſa ſibi à natura præſcriptis dearticulationibus conſtet. Eandem quidem rationem, ſapientiſſimi rerum opificis prouidentia etiam in pedibus oſtendit, quæ nulli parti non peculiarem ſitum uoluit perſcripſiſſe. Et quoniam huic animali, homini inquam, tranſitus motu ad loca permutanda uti opus fuerat; quædam oſſa caua, nonnulla prominentiis prædita, quæ in caua ipſa ingrederẽtur Dei prouidentia conſtituit, quo quodlibet os huiuſmodi ordinem ſortitum, decentem motum perageret, vt uero motus ſecurus fieret, hęc omnia ligamentis, & laqueis quibuſdam quę ἄμμονες ab illis exterius deuinxit, ἄμμονες autem exterius poſitæ prominentiæ ſunt, quæ pro numero, ad exarticulationes cohercendas conſiſtunt. Similes quaſdam ferrarii opifices ad iugem, perpetuúmq; valuarum motum ferri compages leuigatas moliri ſolent. Femorum igitur rotunditates, quæ ad nates circulares ſunt, quas γλουτοὺς dicunt, ipſorum motum natu-

ra constituit. Sphericum nanque illud femoralis ossis, γλουτὸν, idest nates, seu clunem appellant, in quod autem illud ingreditur, κοτύλην, hoc est acetabulum nuncupant. κοτύλην enim διὰ κοιλότητα ob eius concauum dixerunt. γλουτὸν uero, ob lęue, ac fluidum quod in ipso uisitur. Circulare siquidem ipsius ossis γλουτὸν οἷον γλωόντινα ὄντα διὰ περιφέρειαν, καὶ λειότητα, nuncupant, quasi ob sui leuitatem, policiemque leuigatum quoddam sit. Etenim huiusmodi ossa, præter quam quod lęuia sunt, etiam humida habentur, quo, veluti, portarum cardines, verti, moueriq; commodius queant. Tale quidem dearticulationis opus est. Eius etenim species tres sunt, altera, quæ enarthrosis, idest inarticulatio, dicitur cum cauum quod subest, profunda est concauitate præditum, & caput quod in ipsum descendit longiusculum sit, quemadmodum in capite femorum, & in acetabulo coxendicum uisitur. Altera uero dearticulationis species, arthrodia, idest articulatio dicitur à prima diuersa, quæ fit, cum concauitas in ossis tantummodo superficie est, caput uero depressum admodũ, ut in brachii iuncturis, cum scapulis cernere est. Tertia uero eius species est, quam ginglismum, idest coherentiã dicunt, hęc nanq; est, cum alterum os, ex aduerso, in alterũ ingreditur, quemadmodum in spinæ vertebris, & cubiti, cum brachii dearticulatione, cernitur. Hæ uero rotunditates, nonunquam capitis nomine, aliquando ceruicis, quandoq; corones, plerunq; uero spherulę nuncupantur. At ossium concauitates, quandoq; acetabula, quandoq; glenæ, hoc est leues concauitates, appellari solent. Quę, sub acetabuli nomen cadunt, & quę κοτύλαι dicuntur, profundiores sunt, quæ uero superficiẽ leuis concauitatis habent, glenas dictitant. Os siquidem femoris, maximũ omniũ quę in homine sunt ossiũ habetur, quod quidẽ superne cũ pectine, & coxendicibus, infra uero, cũ tibia dearticulatur. Hoc siquidẽ os, in superiori parte, in caput exacte orbiculatum desinit, infra uero, in geminum tuberculum finitur. Et cum tibia, non modo membraneis

ligamentis, quæ totã dearticulationem circulari ordine cõplectuntur, ſed ad ea, tribus aliis rotundis, & fortibus alioqui adnectitur. Femur uero, ab ipſis μηρὸς ἀπὸ τοῦ μεμερίζεσθαι, quod diuidere faceret, nã ea parte corpus noſtrum, bifariam diuiſum conſpicitur. Spatiũ uero, quod à colli finibus, ad pudenda uſq; defertur, ob loci latitudinẽ, mortuarium nuncupatur: Nam ſi manus flectantur, corporis illa pars, tali inſtrumento ſimilis fit. Totum autẽ femur, exterioribus, & quæ anteriores ſunt partibus, deuexam exprimit formã. In illis uero, quæ poſteriores, & interiores ſunt, ſimam optinent. Geminos autem proceſſus paruos, à ceruice declinantes, habere femur cernitur, quos trochanteras appellant, ex quibus ille qui interior eſt, ſatis admodum magnitudine, illum qui extra eſt, excedit. & interior, cum cum pectine dearticulatur, qui uero extra eſt, cotyle, uidelicet acetabulum eſt. Hæc itaq; ſunt quę inter fœmoris oſſa adnumerantur.

At quę cruris oſſa ſunt, intus, & extra, alterum tibia, alterum uero ſura dicitur. Et tibia quidem, anterior pars, & quæ magnitudine aliqua prędita eſt, nuncupatur. A poſteriori uero parte, ſura eſt, quę, tum craſſitudine, tum longitudine, tibię concedit. Hæc ſiquidem oſſa, tametſi utroq; extremo inuicem coeant, attamen, medio ſpatio inter ſe dirimuntur. Nam, tibia, in immodicã appendicem excreſcens, femori à parte ſuperiore copulatur, & geminis cauis ipſum ſuperueniẽs femur, ſuſcipit. Ab inferiore uero tibię, & ſurę parte, talus comprehenditur; & pedis quidẽ tractus omnis, qui à genu, ad talũ uſq; deſcẽdit, à parte uidelicet alias exuperante, tibia nuncupatur: Cuius quidem ea portio anterior, quę carnis expers, ac exilis uiſitur, ante tibiale dicitur: quæ uero poſterior eſt, magnos in ſe muſculos continens, tibiæ uentrem denominares. Sunt qui gibboſa oſſa, ac carnis penitus expertia, quæq; aliis accumbunt, talos nuncupent, non recte quidem, ſed falluntur. Talus autẽ ab ipſis oſſibus, utrinq; complectitur, & hæc oſſa extremę tibiæ, ſuræq;, proceſſuũ partes ſunt, quæ exteriore

parte gibboſa, interiore uero quod ad ſenſum patet, caua ſunt. Poſt hæc quidem, calcaneus, à poſteriore parte conſiſtit, dehinc totus pes viſitur. Locus autem qui ad digitos tendit, dorſum pedis eſt, quod illi tarſum, nonnulli uero κτένα dicunt; quod autem ſub pede eſt, ſolum dicitur, quod illi πέδιον, & πέλμα nuncupant. Præterea, digiti omnes ternos à natura oſſiculos, pollice excepto, qui duos tantummodo habet, ſortiti, trina articulatione uinciuntur. Ad hæc, qua femoris, & tibię oſſa inuicem coeunt, patella, quam græci ἐπιγονατὶς, laxæ admodum, molliſq; naturę, ac rotunda, ſuperne accumbit: quapropter, illam, à molę figura, molam nonnullis appellari placuit, quod intus concauitatem habeat, à ſimilitudine ſuperioris molę, quæ inferiori molendi gratia accumbit. Illam autem ὑπογονατίδα, hac de cauſa nominãt, quod ad genu adhibita, ſuper ipſo conſiſtens oſtenditur. Vt apud Homerum. οἵην ἐκ ῥακέων ὁ γέρον ἐπιγωνίδα φαίνει, quod facit, Oſtendit lacera ſenior iam ueſte patellam. Genu uero græci γόνυ, ἀπὸ τοῦ γονεῖν, καὶ ἐνεργεῖν, quod operari, & agere, diceres nominis interpretationem deſumit. Siue quod inflectendo pede ceu angulum quendam quem illi γωνίαν nominare ſolent, efficiat. Portio autẽ, quæ ſub genu eſt, quam nos poplitem, illi ἰγνύον, ἀπὸ τοῦ ἰκνεῖσθαι ἤγουν ἁπλοῦσθαι dictitant, quod nobis incuruandi, explicandiq; corporis cauſa eſt. Siue, quod dum ſtectitur, greſſum continuamus, quod illi ἥκειν dicunt. Siue, διὰ τὸ γόνυ πέχειν, ὅ ἐστιν εἰς γῆν νεύειν, quia præ eius flexu, in terram inclinamur, atq; procumbimus. Crus quidẽ illi, σκέλος, ἀπὸ τοῦ διεσχίσθαι διὰ τὸν κέλευθον, quod videlicet in itinere peragendo alterum, ab altero dirimatur, dictum volunt. Siue διὰ τὸ σκληρότερα εἶναι τῶν ὕπερθεν μερῶν, quod ſcilicet partes, quę ſuperius ſunt, duritia excedunt. Etenim rerum opifex, pedes ipſos, utpotè inſtrumentum greſſui delegatum, totius corporis ſuſtinendi gratia, ceu columnas quaſdam conſtituit, vti his ſuffultum, loca mutare, inuiſere vrbes, negotia exequi, pondera attollere, ac diuerſa ad loca

ferre eadem, ac referre queat. Hos igitur pedes, ad interiora innuere moderate decet, quo mutuo inuicem officio vtentes, recte motionem ipsam perficiant. Si autem alterum ex ipsis, à naturali situ distorqueri contigerit, motus ipse impeditur, atq; actio illa quæ præstantissima est, destruitur. Hac itaq; de causa, & nerui qui tendi dicuntur, qui ad poplitem consistunt, & musculi, ac ligamenta, nec non & alii nerui, pedes ipsos circulari ordine ambiunt, quę uniuersa, roborãdi, tuendiq; motus ipsorum gratia, procreata esse constat. Non enim tendi ipsi articulis tantummodo securitatis causa, sed omnibus corporis partibus adhibiti sunt. Siquidẽ, neruos, qui in humeris, alis, poplitibus, malleolis, & cunctis partibus, quæ à musculis, ac unà cum musculis mouentur, tendos, quod ad actiones, negotiaq; peragenda, partes ipsas distendant, appellari recte decet. Neruorum enim triplex differentia est. Nam qui à cerebro, ac dorsi medulla oriuntur, peculiari nomine nerui appellantur. At qui à musculis, tendi: sed qui ab ossibus procedunt, ligamenta. At tali locus, & malleolus dicitur, quod illi σφυρὰν, καὶ οἷον σφαῖραν appellant, quasiq; membra compositione constringat, ac neruis compacta reddat. Sed talum & ἀστράγαλον illi dictitant, διὰ τὸ ἀστραβῆ, καὶ ὀρθὴν φυλάττειν ποδὸς βάσιν, quod videlicet pedis nostri motum, ne distorqueri, sed recte procedere possis tuentur. Os autem quod orbiculare nuncupatur, talum circulariter ambit; in quo κόκκυξ, ossiculum uidelicet, quod cuculus dicitur, superne ligamentis cum extrema surę parte connectitur; & quod gibbosum in se est, infra suppositum habet, & colligatur cum ipso, ubi malleolorum, & calcanei basis est. Calcaneus uero, superciliaribus prominentiis, tibiæ, suræq; supponitur, cuius orbiculares partes, comprehendunt duas quasdam tali prominentias, quas, in decentes concauitates accomodat. Etenim, anterior calcanei pars, à pedis deuexo, principiũ habet; post hanc autem planum pedis, quod illi πεδίον dicunt, quinis ossiculis constitutum, incipit, à quibus digitorum surculi, in ungues,

concordi quadam serie desinentes originem sumunt. At surculi ipsi, inuicem chartilagineis quibusdam ligamentis, copulantur. Ligamenta uero, quibus talus, calcaneúmq; vinciuntur, fortia admodum, orbiculariaq; sunt, & ex neruosis, chartilaginibus constitutionem sortita sunt. Et quo vniuersa de pede dicantur, non modo in ipso pede ossiũ compositio est, quam græci συνάρθρωσιν, καὶ διάρθρωσιν, hoc est, coarticulationem, & dearticulationẽ dicunt; uerum etiã, neruosa, chartilagineaq; consertio, coherenti aq; visitur, quam illi συννεύρωσιν, καὶ συγχόνδρωσιν appellant. At qui, pedes ipsos, non modico robore stabiliendos esse oportuit, quo totius corporis ferendę moli, & veluti ac- 1
clinatis sibi ponderibus, cæterisq;, quæ necessitas exigit peragendis, valide, ac fortiter sufficerent. pes quidem ab illis, πούς παρὰ τὸ πεπαῦσθαι ἀπὸ τοῦ ὅλου σώματος, quasiq; in ipso, à toto corpore cessatum sit. Vel quod παῦον, καὶ λῆγον τοῦ σώματος, quod pars videlicet sit, in quam corpus desinat, terminetq;. Sed & ἴχνος nuncupatur, παρὰ τὸ ἴσχειν, καὶ συνέχειν τὸν πόδα ὅλον, quod totum pedem contineat, comprehendatq;: siue quod à terra gressu in ipso attollitur, quod illi ἀνίσχεσθαι ἀπὸ τῆς γῆς dicunt. Prima vero pedis pars, ταρσὸς, à sicca eius loci qualitate, & carnis experte, appellata est, vt Homerus.
νῦν δέ μ' ἐπέγραψας ταρσὸν ποδὸς εὔχεαι αὔτως, quod facit. Sed mihi 2
perstringens tarsum in pede gloria quanta hæc. Anteriorem autem partem ob eius leuitatem, illi πεδίον, nos planum pedis appellamus. Cutim vero, quę ipsi pedi subditur, illi πέλμα διὰ τὸ πεπιλεῖσθαι, ἤγουν ἐσφίχθε τοῦ ὅλου δέρματος πλέον, quod videlicet cõpressa, constrictaq; tota, magis quam reliqua cutis sit, vocant. Calcaneus vero, ab illis πτέρνα denominatur, διὰ τὸ ἐπιπεπτωκέναι αὐτῇ ὅλον τὸ σῶμα, quod in ipsam totum corpus innitatur, atq; incidat. Articulos autem ab ipsis, ἄρθρα appellari diximus, ἐκ τοῦ ἄρω, τὸ ἁρμόζω, quod videlicet per ipsos partes ad inuicem concinne, accomodentur, atq; coeant. vel ipsos, inde dictos volunt, διὰ τὸ ἀρηρέναι ἀλλήλοις, quod 3

concordi quadam copula inuicem firmentur, coueniant, atq; constringantur, alteræq;, alterius suppetias adsint. Et quidem, totum corpus, cutis operimento tegitur, cuius quędam pars pilis obsita, quædam vero, ipsorum expers conspicitur. Verum enimuero, ex his, quæ pilosæ partes sunt, caput, mentum, labiaq; habentur, quę tum tegumenti, tum decoris gratia, natura pilis obtexuit. At pili, qui in superciliis, & ciliis visuntur, tutelæ causa procreati sunt. Qui uero sub alis, atque ad pudenda oriuntur, casus cuiusdam euentu, non tutelę gratia, cũ irritus inibi pilorum locus sit, orti sunt. At qui, nec tegumenti causa, inibi pili existunt. Quoniã alę, à manibus, costisq; satis protectę visuntur. Sed neq; ob decorem vllum, ipsos constitutos crediderim, quoniã natura, additi decoris habere curam nõ nouit. Nullius enim rei, cuius est abscondita pulchritudo, desyderiũ nobis innascitur. Et pilos quidem, euentu nasci, hoc pacto censemus. Quemadmodum enim agricolę, in orti sui cultura, pręcipuũ propositũ est, utiles hęrbas, stirpesq; frugiferas, assidua irrigatione perfundere, accidit etiã, & spinas, herbasq; alias minus vtiles, & ad sepes, usúmq; alium deputandas, irrigari; eodem modo, & vegetalis facultas, ad eos quos memorauimus usus, pilos, vnguesq;, molita est, quibus & alimentum, & incrementum, nec non constitutionem, impertiri assidue satagit; sed fumosæ, corporis nostri exhalationis concretio, horũ constitutionis causa existit. Et pili quidem, ab ipsis, θρίχες appellãtur, οἷον δρέχες ὅτι θερίζονται, quod videlicet demetiri soleant, ac sectioni assidue obnoxii sint. Nihil enim, omnium, quæ in corpore nostro sunt, æque extra tendere, ac pili nititur. Cutis uero pars, quę pilis vacare conspicitur, quemadmodum manus palma, ac digiti, & pedis planta, musculisq;, pilorum vice redundat. Vbi autem, nulla huiusmodi musculorũ causa existit, pili in quibusdam magis, in quibusdam uero minus, oriuntur. Enim vero, nõ modo mollis caro, verum etiam uniuersa quę interius sunt, cute ipsa pro tegumento, & obductione vtuntur. Nam

cutis, callosæ naturę habetur, quasiq; ipsa ab ambiente aere, & rebus in quas eam assidue incidere contingit, callescat. Mollis siquidem caro, alicubi simplex, alicubi cõposita est. Ipsa enim musculosa, cum fibris, quibusdam in locis, in quibusdã uero, per se ipsam existit. Ipsa etiam (quemadmodum & de cute dictum est) toto corpori subextenditur, quo æstatis tempore, sudorum excretione, animali refrigerium suggerat, pilorum uero lanuginem, ad hyemis usum largitur. Carnẽ nanq; ipsam, σάρκα græci παρὰ τὸ ἀποσύρεσθαι τὸ δέρμα ἀπ᾽ αὐτῆς, quod videlicet ab ipsa cutis detrahatur, appellant. Cutim vero δέρμα, quasi τέρμα, prima mutata litera, idest terminus quidam corporis, uel finis sit, cum ei vndiq; obducatur. Siue δέμα, hoc est, quòd uinculum, seu ligamentum corporis sit, cum ipsum comprimat undique, constringatq;. Siue δέρμα παρὰ τὸ ἀποδέρεσθαι, à detrahendo, diripiendoq;, quod in animalibus assidue, quibus cutis detrahitur, cernere est. Aut, quasi δέμας, quemadmodum & corpus dicitur, inde videlicet, quod animę uinculũ sit. At cutim ipsam in corpore, ad usum tantummodo, non autem actionis alicuius gratia, constitutam esse certum est. Non enim ipsa ad concoquendum cibum, uel constituendum sanguinem, aut distribuendum alimentum, neq; ad motum, qui cũ impetu fit perficiendum, aut rei alicuius usum animali impertiendo, officium explet; sed cum omnium exterior consistat, uniuersa corporis nostri superuacua, optima ratione recipit. quam obrem, ad respirationem, sudorúmq; excretionem, quasiq; terebrata est, & ipsa omnium partium imbecillior habetur. Nec uero pari robore omnia mẽbra hominis prædita sunt, sed magis principalia, quæ quasi principia quædã corporis habentur, robustiora, fortioraq;, à primo ortum constituta sunt, ut ex pinguescentis victus usu, prouenientia incommoda abigerent, & naturalem uim tutiorem conseruent. Homo autem in omnibus corporis partibus, tum in aluo, tum in intestinis, exungia, nõ autẽ seuo præditus est. Nam exungia à seuo, hoc discrepat, quod exun-

gia quidem, rigorem ſentiens, non concreſcit, ſeuum uero præter id quod concreſcit, frangi etiam poteſt. Quapropter, exungioſum ius cō creſcere neutiquam poteſt, ſeuoſum uero, ut bouis, capri, & arietis cō creſcit. Siquidem exungia, piugui ex ſubſtantia quadam, quæ in ſanguine eſt, olei ſimilitudinē præ ſe ferente, conſtituitur, quę, cū in frigidioribus corporis partibus conſiſtat, non concreſcit. Exungia enim πιμελὴ à græcis nuncupatur, παρὰ τὸ τὴν πῆξιν τῆς τροφῆς εἶναι, quod ipſa videlicet, ex alimento concreſcat. Siue ἀπὸ τοῦ πιαίνειν, quod humectando, corporis partes, eas impinguat, quod illi πῖον τὸ λιπαρὸν pingue dicunt. At ligamentum in corpore noſtro, oſſium obductio quædam, nerualis eſt, quę ex ipſis oſſibus progeneratur, quod dearticulationibus inuicem copulatur. Membrana uero, neruale quoddam corpus in latitudinem protenſum eſt. At caro, ſimplex cōcretus ſanguis eſt, cuius quidem cōſtitutio calida, humidaq;, guſtus uero, dulcis eſt. Et ſanguis quidem ab illis αἷμα παρὰ τὸ αἴθω, τὸ καίω, à comburendo dictus, nullus enim omnium qui in corpore noſtro humores ſunt, ſanguine calidior habetur. In quibus enim ſanguis exuberat, eorum magis hilaris animus redditur. Flaua uero bilis concitatiorem, audacioremq; facit. Sed atra, modeſtiorē, ac ſtabiliorē; At pituita, magis inertem, atq; aſperum efficit. Siquidem, pituita, in ſui conſtitutione, modice craſſeſcentis qualitatis, & guſtu ſalſuginoſa habetur. Flaua uero bilis, magis tenuem conſtitutionem, & guſtu amaritudinem ſortita eſt. Atra autem aceſcentis guſtus, ſui uero conſtitutione, ad craſſam magis, terreamq; naturam declinat. Et ſanguis quidem rubei coloris: pituita alba: flaua bilis palleſcens: atra uero nigra eſt. Hi autem humores, cognati cum corpore noſtro ſunt; ex quibus, quædam ſimplices partes, quædam inſtrumentales factæ ſunt. Et ſimilarium quidem, ac ſimplicium partium, ſubſtantialia ſunt, calidum, frigidum, ſiccum, & humidum. Compoſitis uero, atq; inſtrumentalibus, hoc ineſſe natura neceſſario debet, uti concinna, ac concors membrorum

diſpoſitio ſit, ſic, ut oculus irretortus uideatur, ac pes neutiquam claudicet. Similares autem partes, temperamentorum competens moderatio neceſſario ſubſequi debet, uti in denſitate, uel raritate, ſiue craſſitudine, aut gracilitate, & bono, aut malo colore, tum in mollicie, ſiue aſperitate, non ſit exceſſus. Hæc etiam ſubſtãtialia, in inſtrumentalibus ſunt ut moderatione, cõpoſitione, numero, ac figura congruant: Nam hoc neceſſario in inſtrumentalibus requiritur, uti eorũ quodlibet recte demandata ſibi munia peragat; ut ſcilicet manus, in rebus capiendis recte moueatur. Pedes vero, in greſſu, aures, inaudiendi ui, & oculi in cernendi facultate, minime deficiant. Tunc etiam hominem, qua ad corpus attinet habere peculiarem, ac propriam uirtutem cenſendum eſt, cum in ſuis actionibus, cogitatione, memoria, imaginatione, ſenſibus, ac reliquis quæ ad corpus attinent, ab omni reprehenſione redditur exemptus. Siquidem homo, tunc rationalis nomine cenſetur, (tametſi talis natura ſit) cum circa primum ſeptimum in enuntiandis, reddendiſq; uerbis, rationalis animæ facultatis, euidentiſſima argumenta exhibet. Anni enim qui infra illud tempus ſunt, rationis expertes, imprudenteſq;, ac fatuitate pleni habentur. Cum uero, aliud ſeptennium abſoluerit, perfectum recte dixeris: Nam huiuſmodi ætas, ſimile ſibi procreare idonea eſt.

Ad hæc, tertii ſeptennii tempus, corporis incrementum præſcribit. Nam poſt primum, ſupra vigeſimum annum, nihil ad humani corporis magnitudinem accedit. Tales ſiquidem anni, uigor, & flos ætatis nuncupantur. Rationale enim ipſi animę, primo ſeptennio pręſcribitur. At ſunt nobis ſenſus quinq;. Viſus; olfatus; auditus; guſtus; et tactus. Vocale inſtrumentum, lingua eſt, & quod ipſam uocem emittit. Sed & corporis motus, ſeptem eſſe dicimus, inter quos inſtrumentales ſex connumerantur. Surſum, deorſum, ante, retro, dextrorſum, ſiniſtrorſum, & circularis. Vel ita: generatio: incrementum: decrementum: corruptio: alteratio: mutatio: et ſtatus. Sed et cor=

poris noſtri excretiones ſeptem ſunt. Lachrymæ; mucus; ſaliua; ſemen genitale; excrementum ſiccum; excrementum humidum; totius corporis ſudor. Quemadmodum enim, ex omnibus rebus quæ in rerum natura creatæ uiſuntur, quædam ſui cauſa, nonnullæ ſui, et aliorũ (ut prius adduximus) procreatæ ſunt, ita & de animalis partibus eſſe dicimus, quarum quædam ſunt, quę principales habentur, quædam uero quę principalibus inſeruiunt. Partes uero, quę principatum quædam à natura optinent, prius conſtitutę ſunt. At flauę bilis conſtitutio, tum ſui, tum alterius gratia habetur; ipſa enim & concoctioni conducit, & excrementitia materia ab eadem irritatur, ac una ex vegetalibus quodammodo efficitur. Ad hęc, & calorem corpori, quemadmodum & uitalis facultas ſuggerit. Sed & purgandi ſanguinis officium explet, ut ob id & alterius cauſa, cõſtitutionẽ ſortita eſſe credatur. At qui & lien, tum ſui gratia, tum aliorum procreatus eſt. Sui quidem, quòd una uegetalium partium, & atrę bilis receptaculũ eſt; quod autem exuperantem ſanguinis materiam ad ſe attrahit, & ipſum altoqui puriorem reddit; hoc quaſi & aliorum cauſa ipſe conſtitutus uidetur. Et renes ipſi depurandis ſanguinis munia explent, & deſyderii coeundi cauſa exiſtunt. Item carnis reuolutiones, ideſt tonſillę, uaſcula ipſa quæ in corpore noſtro ſunt ſuperueniunt, caro uero pro uelamine eſt: At cutis propugnaculi, oſſa uero, firmamenti uicem explent. Vngues, ſcalpendi, capiendiq; res, gratia exiſtunt. Ad hæc, pili ipſi non modo tegumenti cauſa, verumetiam decoris ſunt. Oculi, vti uiſui inſeruiant. Aures, ob auditum, naſus, quo reſpirationi, & olfatui famuletur. Thorax, ut cordis inſeruiat miniſterio, manus, uti eos quos diximus uſus expleant. Pedes, uti ad tranſitum ſufficerent, conſtitutos eſſe perſpectum habetur. Linguam autem ipſam, ob locutionem, ſed & ob eius petulantiam, & quòd cõpeſci difficulter queat, & ne cogitationem pręcedat, geminos ſepto cohercere naturæ uiſum eſt, altero quidem, dentium ſpiſſitudine, quibus eam muri

uice circumſepſit, altero, labiorum, quæ, cuſtodię eius, ceu æditui aſſiſtunt, quominus temere, atq; ut ſors tulerit, in uerba prorumpat. Et ut in ſummam de vniuerſis dicamus, nihil à rerum opifice temere, & quòd aliqua officii functione uacet, procreatum eſt. Has autem omnes, & reliquas totius corporis partes, tunc recte ualere, ac eſſe perfectas dicimus, cum ſimilaria, ac ſimplicia bonum temperamentum, cõpoſita uero, ac inſtrumentalia, moderatum ordinem ſortiuntur. Siquidem, cum inſtrumentales partes, ex ſimilaribus cõpoſitæ ſint, eorum & miniſterium ſentiunt. Verbi gratia, cor, cum inſtrumentalis pars, totius corporis origo, & principium ſit, arteriæ, ac thorax illi inſeruiunt. Nam ab arteriis totum corpus ſanguinem ſibi, ac ſpiritũ, quæ à corde ſuggerunt, uendicat. Thorax uero, ſui compreſſione, dilatationeq;, purum aerem ad ipſum cor demittit. Cerebro utiq;, nerui, & dorſi medulla, iecinori, uenę, teſtibus, ſeminales meatus famulantur. Hæc enim corporis principia, & dicuntur, & ſunt, ut prius oſtendimus. Chartilagines autem, quæ per totum corpus ſunt, corpora oſſibus molliora, carnibus uero longe ſicciora habentur. At carnis reuolutiones, ſeu tõſillę ſpõgioſa corpora ſunt, quę chartilagine quidẽ ipſa molliora, carnium uero natura paulo duriora ſunt, harum quippe uſus diuerſus habetur. Nam quędam ex ipſis, mediæ, inter vaſcula, quæ venas, arteriaſq; appellamus, conſiſtunt, quædam uero, ceu cubile ipſis ſubiacent. Alias item, obeundę alicuius actionis cauſa natura protulit, ut quæ in papillis ſunt, quarum officio, ſanguis in lac commutatur. At alię in teſtibus ſunt, quę genitale ſemen perficiunt. Sunt & in oris anguſtiis tonſillę aliæ, à quibus ſaliua neceſſario conſtituitur. Et quoniam vocalibus inſtrumentis, ex aſſiduo motu ſicceſcentibus, uox intercipi, & uſus uerborum deficere ſolet, huius gratia, muſculi qui ſaliuares dicuntur cũ tonſillis in ore conſiſtunt, ut toto ore ab ipſis humectato, aſpera arteria ad eandem uocem, ac ſermonis uſum uegetior, actuoſiorq; reddatur. Niſi enim huic rei, naturæ opificis cura

hoc pacto consuluisset, homo ex modico quouis sermonis usu, nec multo uocis modulamine, in uoce ipsa iacturam pateretur. Sed cum hæc, huiusmodi disposita habeantur, ad sonum edendum, quantũ expedit uox sufficiens redditur, quam nos & altius attollere, & eius concentu, audientium auribus blandiri, illaq;, uoluptatem afferre non modicam possumus. quamuis enim cicadas, & philomellas, nec nõ pleraq; alia ex auium genere, hominum auribus, uocis concentu, suauitatem quandam ingerere cernimus, attamen, longe aliter homo tale munus, quam ipsa animalia exequitur, quemadmodum Homerus huiusce rei peritus asseruit, cum inquit. καλέσατε θεῖον ἀοιδόν, τῷ ῥα γὰρ θεὸς περι δῶκεν ἀείδει τέρπειν ὅπῃ θυμὸς ἐποτρύνησιν ἀείδειν. quod facit. At uos o iuuenes, diuinum accersite uatem, Cui Deus ut cantu cunctorũ mulceat aures, Pręstitit, ut mentem flectit cantare rogatus. Solus enim homo, uocis dulcedinem distinguere, ac percipere potest. Sed & soli homini tantum, ad cantus modulamina, omnifaria musica instrumenta, & uarios blandimentorum usus, constituere datum est. Soli ipsi homini per literas abscentibus amicis salutem dicere. Solus inquam homo, animaduertendi, ac consilii capiendi ui pręditus est. & risibilis animalis solus, tametsi simia nescio quam risus similitudinem exprimere uideatur, appellationẽ uendicat. Solus, uocalibus instrumentis, quæ dicenda, exprimendaq; sunt, articulata uoce format, cum cætera animalia articulata uoce utantur. Sed & intelligentias ipsas, ac dæmones, rationali sermone, non aũt quemadmodum & nos, uocalibus instrumentis, ac spiritus reciprocatione uti, nonnulli opinantur. Soli etiã homini, & si mortali conditione natus sit, à mortuis resurgere, ac immortalitate donari, datum est. Solum hominem, rerum ille opifex, hic creatum, & alio transmutandum fecit. Solus homo, inter utranq; uitam, prouidentissima cura quæ ad præsentem attinent satagit, & ne à futura dillabatur summopere inuigilat, hanc præsentem tempore mutabilẽ, illam uero æternam nouit. Sed & innumeris hanc

passionibus,

passionibus, ac doloribus, lachrimisq; obnoxiam, illam uero passionum expertem, omniq; dolore uacantem, ac plurimi gaudii plenam, animaduertit. Vt Callimachus, Ἴθι πρηνύα γυναικῶν τὴν ὁδὸν ἣν ἀνίαι θυμοφθόροι οὐ περόωσιν, quod est. Vade mansueta mulierum uiam, quã angustiæ animum corrumpentes non penetrant. Simile huic & illud est, vnde recessit omnis molestia, & dolor, & gemitus. Solus siquidẽ homo in præsentis uitæ lubrico, in crimina, peccataq; prolabendo, cũ se ipsum corrigit, à penitentia, uenia dignus à Creatore efficitur. Siquidem, erga solum hominem, rerum opifex præter alia animalia præcipua prouidentia utitur, eúmq;, exactissima ipsius cura, dignum censet. His itaq; cognitis, & plura edoctus, Dei prouidentiæ magnitudinem mirabere. Quis non attonitus inspiciat, omnium rerũ permanentiam, earum præsertim, quę generationis, corruptionisq; uicissitudine nobis inseruiunt, nostri causa illum procreasse, si rerum omnium ordinem simul, & situm inspexeris? Non enim syderum motus, non circularis anni, ambitus, uel temporum, ab incepto tenore, fit permutatio. Sed & dierum, ac noctium equalitates, incrementa, decrementaq;, dum uicissim tam miro ordine damna rependunt, contemplari oportet. Quidnam de seminum, & plantarum exuberantia, aut quid de tam diuersa, & differenti animalium specie, deq; tota rerum machina, dicendum est? in ipsa enim proportione, harmonia, & recto ordine consistere, cuncta uisuntur. Et ut uniuersa, quæ summa Dei prouidentia cõmodi, ac emolumenti nostri gratia procreata sunt, missa faciamus, pauca tamen de forma specieq; nostra recensere aggrediamur, ut inde Domini nostri opus mirari, eiusq; adorare prouidentiã, vnusquisq; merito possit. Quis inquam hominum formas, in tot millibus discrepantes, & nullibi prorsus in vniuersis conuenientes, non admiratione prosequatur, atq; obstupescat? Verum, si causam consideres, summę prouidentiæ opus, in tali singularium dissimilitudine, consistere deprehendes. Si enim vniuersi mortales, omni remoto di=

scrimine, unā eandemq; figuram sortirentur, maxima quidem rerum confusio oriretur. In quanta enim rerum omnium ignoratione, ac tenebris versaremur, si, distinguendi notum hominem, ab ignoto, hostem, ab amico, probum, ab improbo, ac scelesto, nulla nobis facultas daretur. Nam, si hæc huiusmodi se haberent, nihil impediret, quin cū parentibus, sororibusq; coiremus. Si fur, in furto deprehensus paululum declinaret, ac sese immisceret cætui, nunquam amplius agnoscendus effugeret. Sed & inter liberos, ac parentes, nullum omnino cognitionis discrimen esset. Præterea aliud nihil in hac mortalium uita fieri laudabile posset. Nam homo, hominis causa, cecus quodammodo esset, cum uisui ipsius nihil aliud comprehendere, quam ætatem, atque corporis magnitudinem daretur. Tanta igitur bona, summi Creatoris prouidentia, ex formæ in omnibus uariatione, discrepantiaq; nobis largita est, & hoc quidem per vniuersa tempora efficere non desinit. Sed non figura tantum, uerumetiam in uocibus, coloribusq;, atq; ætatibus discrimen uisitur, quo humanę naturæ imbecillitas, multimodam opem sentiret. Cum enim nobis, pro ui rationali, qua præditi sumus, planum constet, quanto nos summi Dei, & creatoris prouidentia honore insigniuit, enitendum summa ope est, ne naturam ipsam turpitudine afficiamus, ac tam præclari muneris, indigni penitus uideamur. Hæc autem mihi de nostro corpore, eiusque structura, constitutioneq;, ac formatione, nec non compositione, colligisse, composuisse, ac quasi contexuisse, & conseruisse uisum est. Neq; enim nobis satis constat, si id, ut præclarum artificem decet, arte, nec ne, uel prudenter effecerimus, ut opus nostrum, à pluribus probaretur. Quis enim satis, ac pro merito, Domini potentiam narrare, ac auditas facere laudes eius, atq; incomprehensibiles uias eius deprehēdere queat, nisi quantum ipsius munere homini datum est. Sed, cum in hoc, iudicium nostrum ostenderimus, haudquaquam inficiabimur, à quocunq; hæc accuratius explicari posse. Et si quispiam secum

hoc opus animaduertet, plura etiam, quam quæ à nobis comprehensa sunt, penitiora indagare poterit; attamen quancunq; rem, ad pręsentis operis seriem, addendam esse censebit, hæc etiam, in medium cum illis, quæ nos explicauimus, unà nobiscum afferre studeat. Videlicet quo nam pacto facies ipsa, principalis hominis portio, septenis foraminibus, duobus videlicet oculis, geminis auribus, ac totidem naribus, & oris præterea hiatu, terebrata sit. Tum quo pacto cerebrum quod sensus receptaculum est, præter alias animalis partes frigidum, & humidum habetur. Sed & quomodo cogitationes formentur, neq; humiditatis causa, dillabantur. Ad hæc, quomodo non nullæ corporis nostri partes, calidę, aliæ frigidę, quædam utriusq; temperamenti sint. & qua ratione, non nullę validę, fortesq;, alię imbecilles, & alię cõpositę, aliæ simplices habeantur. Tum quam obrem quædã membra insitas, non nulla aduentitias facultates sortita sint. Præterea, quomodo partium quęlibet, quatuor in se vitales facultates contineat. Ad hæc, quomodo alia in corpore nostro uascula, delegãdi potestate, quędam recipiendi, alia continendi, alia excernendi prædita sint. Sed & quo pacto ab alimentis corpus sustentetur, et quomodo ipsis deficientibus, destruatur. Ad hęc etiam, quomodo cor, cum insitum sibi à natura calorem toti corpori impertiatur, ab huiusmodi officii functione nunquã cessat. Pręterea, quibus modis, cibus in succum vertatur, ac sanguis depuretur, corpúsq; alimentũ nutriat, & stercus excernatur, humidúmq; excrementũ emingatur. Quomodo itẽ membra colligentur, & coarticulentur partes, ac articuli inuicem dearticulentur, & ossa cõposita sint. Item, cur ossa quędam dura, quædam mollia, alia concaua, nõ nulla concauitatum expertia, quędã medullã habentia, alia absq; medulla uisuntur. Sed quomodo & neruorum, quidã coniugationis gratia, alii solitarii, siue singulares, eodem modo & venę, & arterię, diffunduntur. Tum, qua ratione, partium, vel corporis elementorum, alia sui, nõ nulla aliorum causa, procreata

ſunt. Pręterea: qua de cauſa omnes ætates, non eædem, nec facierũ aſpectus, neq; uocum ſimilitudo, ſed nec colorum equalitas habeantur. Verum, ne oratio noſtra pluribus uerbis, eadem denuo repetita, contexere uideatur, ex Gregorii uerbis ſententiã adducemus, cum ait. Admirare inquit, ò homo, quo nam pacto formatus, compoſituſq; ſis, & quanta Dei in te procreando ſapientia ſit, & quod nam in hoc, naturæ, myſterium eſt. Conſydera item, quo pacto mens loco menſurabili non diuiditur, ſed in eodem perſiſtens, cuncta pererrat. Tum qua ratione, uiſus noſter, cum modicus, breuiſq; ſit, ad tam remota, ac diſtantia ſufficiat. Et nunquid uiſibilis rei ad uiſum repreſentatio, an uiſus ad eam tranſitus fiat. Sed & quomodo, illud idem mouet, & mouetur, quod per uoluntatem noſtram gubernatur. Tum quę motus quies ſit. Quo itẽ pacto mens per ſenſus, his quę extra ſunt cõmunicat, atq; exteriora deſumit. Præterea, quo pacto ipſa, ſpecies recipiat, & quæ eorum quæ recepta ſunt conſeruatio, uel memoria ſit. Tum quo pacto, præteritę rei reſumptio, uel reminiſcentia fiat. Ad hæc, quomodo ſenſus in ipſa permaneat, & illud quod extra eſt, attrahat. Item, quomodo oratio à mente ipſa progeneratur, orationiſq; generandę in alia mente cauſa exiſtat. Et quo nam pacto orationum intelligentia diſtribuatur; & quomodo corpus ob animam nutriatur. Quo pacto item anima, ob corporis cõmunicationem, paſſionibus obnoxia ſit, & quæ cauſa eſt, uti ob formidinem homo frigore concreſcat, & audacia ſoluatur, dolore contrahatur, voluptate diffundatur, idemq; inuidia liquatur, inani gloria efferatur, atq; in ſpe leuis efficiatur. Sed & quo pacto, iracundia, in inſaniam hominem, verecundia, in ruborem uertat, altera ob ſanguinis feruorem, altera uero, ob eiuſdem ſeceſſionem id efficiente. Ad hæc, quomodo paſſionum ſigna, in corporibus agnoſcantur: quo nam in loco conſyderationis ſedes eſt. Tum quo pacto ipſa omnibus his præſit, paſſionumque motus mitiores reddat. Tum, quomodo in corporea pars,

anima videlicet, à sanguine contineatur, ac ipsa eadem quæ corpore uacat, quo pacto spiritum edat. Sed & quomodo deficientibus his, animę secessio fiat. Item, qua ratione mens in nobis incircumscripta, ac interminata existens, quam ocissimo cursu, fluxuq; cuncta perreret. Sed & qui vniuersæ naturæ mutuus respectus, in his quæ oriuntur, & quæ oritura sunt, uti sese innicem quasi oestri cuiusdam impulsu contineant, innascitur. Amplius, idem qui huiusmodi facultatem aggredietur, præter hæc, quamplurima, de partium membrorúmq; constitutione, quam naturæ lege, rationeq; sortita sunt, philosophari poterit; præsertim, quo pacto ordine congruo inuicē ad usus, pulchritudinemq; accomodentur. Tum, quę lege, & naturæ ratione coniuncta, ac distantia sint; quæq; excedant, ac excedantur, & quæ vnita sint, & quę findantur; quæq; comprehendant, ac comprehendantur explicare poterit. Ad hęc, plurima, de uocibus, & auditu disputare poterit, quomodo ille, per uocalia instrumēta feratur: auditus uero ex medii aeris percussione, formationeq; perficiatur. Plurima præterea, de quiete, quæ per somnum homini prouenit, ac de his, quæ per insomnia formantur, & quę consyderationis, iracundię: desyderiiq; sunt. Vtq; uniuersa in summam dicamus; quęcunque, in huius rationalis animalis cōstitutione, Dei patris potentia, omnia, summa cum sapientia, ac recto ordine disponens, peregerit, complectendi materiam sibi neutiquam deesse animaduertet. Enimuero, cuncta in hoc animali adeo pulcherrime perfecta uisuntur, ut aliter procreari, vel constitui ipsum nullo pacto posse existimandum sit. Quid enim Mens tanta, quod non summe deceat, efficere posset? Sed & his præterea, quicunque futurus est, cum admiratione, vt prius diximus philosophari poterit, quo nam pacto homo inter excelsa, humiliaq;, medius constitutus, his quę in terra sunt, dominatur, ab his uero quæ supra sunt, ipse regitur. Neque uero id tacitus præteribit, quòd si quis Dei nutu, ueritatis luminis in se aliquem splendorem

ediderit, diuinus fortaſſe, totus, atque ſupernum in altiſſimis Dei cuncta vincientis, ſoluentiſque, ac denuo reuincientis regnum migrando, excelſioris vrbis ciuis efficietur. Et quidem, is cum propheta admiratus clamabit: Quam magnificata ſunt opera tua domine, cuncta in ſapientia feciſti.

DE ANIMA.

QVoniam Græcorum ſapientum quidam animam corpus, non nulli vero, ipſum animam prȩcedere opinati ſunt, vtriq; à veritate ipſa longe aberrarunt. Siquidem, anima, (vt Gregorius Theologus aſſeuerat) in prima ſeminis conſtitutione vno cũ corpore contextu perficitur. Impoſſibile enim eſt, vti exiſtimemus inquit, ipſam alienȩ ædificationi congruere, uti nec ſigillum cerȩ impreſſum, accomodari alienȩ imagini ullo pacto poſſe. Quapropter, tum ex his planè perſpectum redditur, tum ex eorum opinione, qui ſapientum ſententias accuratiſſime ſcrutati ſunt. Verum ſcilicet omnino non eſſe (ut græci nugantur) animam corpus prȩcedere, nec eam ipſo priorem eſſe, ſed utriuſq; idem exiſtere principium. Quemadmodum enim ſemen ex minimo, ad perfectum quoddã, & ſui finem euehitur, ita & animȩ actio, congrue corpori inſerta, unà cũ ſibi ſubiecto corpore, acceſſionem, incrementũmq; ſentit.

DE ELEMENTIS.

DE Elementis autem diſputare, ad Naturalem Philoſophum pertinet. Antiquorum itaq; Philoſophorum opiniones, quas de elementis ipſi adduxerunt, miſſas facere oportet; unam tantummodo ex omnibus, meliorem ſeligẽtes, quam Empedoclis eſſe, Galenus, & Cous Hippocrates referunt. Sunt igitur omnium rerum elementa,

quatuor, quę & mundi elemēta appellantur, ignis uidelicet; aer; aqua; & terra. Et ignis quidem calidus, ſiccúſq;: aqua humida, ac frigida: aer calidus, & humidus, terra uero frigida, & ſicca habetur. Sed & omnium animalium, atq; humanorum corporum, his proxima totidem elementa, quatuor uidelicet humores, ſanguis, pituita, flaua, & atra bilis. Sanguis itaq;, cum calidę, ac humidę qualitatis ſit, aeri proportione reſpondet. Pituita uero frigida, humidaq; exiſtens, aquę, flaua quidem bilis cum calida, & ſicca habeatur, igni, atra uero, ob frigiditatem, ſiccitatemq;, terræ proportionatur. Sunt etiam & quæ à muſicis traduntur elementa, quę ita nūcupātur. διπλάσιος. ἡμιόλιος. καὶ ἐπίτριτος, *hoc eſt, dupla, ſexquialtera, & ſexquitertia, de quibus ſub formula quadam explicandum eſt, uti ab eorum ignaris deprehendi facile queant. Diplaſius itaq; numerus is eſt, qui comparatum in ſe plurifariam, uel ſemel, numerum continet, ut octo ad quatuor, nā, ex bis quatuor, octo reſultant. Hemiolius uero eſt, qui integrum in ſe cō paratum numerum, cum dimidio habet, ut ſex, ad quatuor, nam perfecte in ipſo quatuor, eorúmque dimidium uiſuntur. Epitritus autē eſt, qui cum cōparatum in ſe numerum optineat, eiuſque tertiam portionē habet, ut quatuor, ad tria, nam cum integrum ternarium poſſideat, & eius tertia pars in eo, quæ unitas eſt, oſtenditur. Cum igitur ſanguis, amicabile quoddam, & quod ipſum animal procreat, quædāq; peculiaris naturæ noſtrę portio ſit, diplaſio numero ad reliqua, quę in corpore noſtro ſunt, quodāmodo reſpondet. Pituita uero, Hemiolii: flaua aūt bilis, Epitriti rationem continet. Atra quidem bilis, omnino inferior habetur. Siue, ut ita dixerim, ipſa enim eſt, quę cum malos morbos inducat, corpus noſtrum in perniciem uertere ſolet. Nam, ob eius in corpore noſtro exuberantiam, homines, elephantiæ, leprę, ſcabiei, impetigini, callorum aſperitatibus, cancris, carbunculis, aliiſq; tumoribus, obnoxii redduntur. Eadem igitur ratio, & de orbis elementis habenda eſt. Nam aer (ut prius aſſeruimus) cum ſanguini proportio*

ne reſpondeat, quod omnium maior ſit, Diplaſii ad reliqua, ut ita dixerim ratione fungitur; in hoc enim (ut Ariſtoteles inquit) animalis, uitaliſq; fecultas tota conſiſtit. A qua autem, cum pituitę proportionetur, Hemiolii ratione ad reliqua reſpondere creditur; in ipſa enim, plurimorum quę humida ſunt animalium, generationem fieri inſpicimus. Verum, igni (quemadmodum Stagiritę placet) nulla certa ſedes præſcribitur, ſed, ut rerum opifex, ubiq;, & in omnibus eſt. In vniuerſis enim rebus, ignis ſemina, aut magna, aut parua portione diſſeminata ſunt. Terra autem omnium minima, cum punctus proportione ad vniuerſum fungatur, Epitriti rationem habet. Verum enimuero, & hominum ætates, proportione quadam, tum ad orbis elementa, tum ad ea quę animalium, noſtrorúmq; corporum cognata habentur, reſpondent. Puerilis enim ætas, cum calida, humidaq; ſit, ad ſanguinem, & aerem proportionem habet. Ætas uero quę uigoris eſt, quæ calida, & ſicca habetur, atrę bilis, & ignis proportionē optinet. At quæ uigorem exceſſit, cum ſicca, ac frigida habeatur, ſub atræ bilis, ac terrę proportionem cadit. Senectus autem, cum humida, ac frigida exiſtat, eam ad pituitam, & aquam recte referendam cenſemus. At qui, & anni tempora quatuor; ver: æſtas: autumnus: & hyems, hominum ætatibus proportione reſpondent. Nam, uer calidū, & humidum exiſtens, ad puerilem ætatē, & aerem, ac ſanguinē refertur. Aeſtas, calida, & ſicca, ad adoleſcentium, flauam bilem, ac ignem proportionem habet. Autumnus, cum frigidus, & ſiccus ſit, virili ætati, & atrę bili, ac terrę ſimilatur. Hyems uero humida, ac frigida exiſtens, ſenectuti, pituitæ, ac aquæ merito æquiparatur. Sed & in egritudinibus, & quandam proportionem, his quę adduximus, cōparem animaduerteres. Sapores enim quatuor habentur; ſanguis, pituita, flaua, & atra bilis, & egritudines quę ex his oriuntur, totidem ſunt, cum uidelicet ſapores ipſos, à ſui natura permutari contigerit, ex his, tertiana, quartana, quotidiana, & continua febres oriuntur.

tur. Cum autem tertiana febris, à flaua bili putrescente ortũ sumat, calida egritudo, siccaq; est, ac ad ignem proportione fungitur. Quartana uero, cum ab atra bili putrescente oriatur, frigidæ, & siccę qualitatis habetur, & eius ad terram proportio est. At eius quæ quotidiana dicitur, cum pituita in putredinem uertitur, constitutio fit, & is morbus frigidus, humidúsq; esse creditur, atque ad aquę proportionẽ referendus est. Continuæ autem febris constitutio, quoniam, à sanguinis feruore prouenit, calida, & humida existens, aeri proportionatur. Sciendum etiã est, quòd neruorũ genera tria sunt, ex quibus, quorundam à cerebro ortus est, & hi peculiari, ac proprio neruorum nomine appellantur. Alii ab ossibus, ad alia ossa prætenduntur, & hos ligamenta dixeris. Quidam autem ex musculis, & hi tendi denominantur, hi nempe, musculorum finis, extrema uidelicet sunt. Quoniam uero, uoluptas, dolentiaq;, omnium quæ in nobis sunt passionũ matres habentur, nam propter uoluptatem, turpia agimus, alterius autem causa, à talibus abstinemus. Qui enim mœchantur, & gulæ indulgent, cum continentia uti, & his abstinere neutiquam proposuerint, hoc, uoluptate ipsa ad id extimulante agunt. A talibus uero, dolentia duce declinant, quæ nos cibis moderate uti, labori incumbere, aut laudis aliquid cupidine agere, pauperibúsque de bonis impertiri, uirtute sotia subigit. Rerum autem quæ sub tactum cadunt, octo quædam coniugationes habentur. Calidum, frigidum: siccum, humidum: graue, leue: asperum, lene: densum, rarum: molle, durum: crassum, exile: lentum, rigidum. quòd rigidum: quoniam siccum est, lento opponitur, qualia farina, & puluis sunt. Animæ autem cognitiuę facultates quinque sunt. Mens: opinio: imaginatio: cogitatio, & sensus. Sed & concoctio, & inconcoctio, inuicem aduersantur. Nam concoctio trifariam diuidi potest. in assatum, coctum, & maturum. Siquidem, assatum, à calido quòd condensat fit. Coctum uero, à calido humescente, maturum autem,

fructus concoctio eſt, quæ à calido ipſum ambiente, efficitur. Sed & inconcoctio ipſa, in totidem diuidi poteſt, in tepefactum, in inquinatum, & crudum. Siquidem, tepefactum, aſſato contrarium dicitur, quòd ueluti inconcoctio quædam ſit, dum calidum illud ſicceſcens, humorem ipſum ſuperare nequit. Sed et inquinatum, cocto aduerſatur, cum & ipſum inconcoctio quędam habeatur, quòd in eo quod concoquitur humeſcens calidum uincere materiam nulla ratione poteſt. Poſtremo etiam, crudum maturo repugnat, cum calori ambienti, fructum ad maturitatem perducere, facultas intercipitur.

FINIS.

POLEMONIS ATHENIENSIS
Philosophi Naturæ signorum Interpretatio.

EXORDIVM.



SI quid aliud est, quod multarum, maximarúmq; rerum studiosos iuuare possit, hoc potissimum prestare poterit Naturalium signorum interpretatio. Neq; enim depositum quisquam, neque uxorem, uel omnino thesaurum cui quam credere: uel amicitiam inire cum illo proponet: quem petulãtiæ, aut infidelitatis, alterius'ue cuiusuis improbitatis signa præ se ferre animaduerterit: Quandoquidem ipsa sunt, quę omnium (ut ita dixerim) hominum, tum mores, tum uitæ propositum, ueluti quędam augurandi ars, aut deorum oracula, uel ocissimũ uaticinandi genus, demonstrãt. Quapropter, naturę quidem signa nobis interpretanda sunt: ut omnes proborũ proposito inherere, malorúmq; scelera deuitare queant. Nã, magnis in rebus, & quę circa magna uersantur, speculatio, obiter deprehensa, rerum scientiã habentibus prodesse solet. Itaq;, omni prorsus studio futuram perdiscere fortunam necessarium ducimus. Et hęc quidem naturę signa interpretanti, dixisse sufficiat. Eodem etiam pacto, & ætates, & genera hominum comprehendere oportebit. Nam, pro regionum diuersitate, aliis, alię species insunt. Etenim peculiares nationis cuiuspiã notas, non magna admodum indicia esse contenderem. Ex illis uero quę præter ætatem, uel nationem in aliquo inspicientur, magna indicia conferri censemus. In diuersis uero nationibus, quę signa sunt, secundum naturam de uno quoq; quam plurima explicabimus. Sed & qua ad hominum genera attinet, esse signorum communis interpretatio potest.

Facile eſt enim dicere, multa ſigna, & mores, quę cõmunia ſunt uncuiq; : tum etiam quę ſingularia ſunt dicentur. Quod enim unumquodq; ſignum poteſt in aliquo, illud idem et in pluribus poteſt. A etatum uero ſigna, minime cõmunia ſunt. Ex quibus autem genus interpretatur, non ſolum A ethiopibus, ſed etiã Scythis, & aliis hominum nationibus (ut deinceps dicetur) cõmunia dicimus. Peculiares autem differentię ſignorũ, alicuius magnę ſunt, hac enim de cauſa, & ſingularibus magis propriũ diſcrimen, quã ex natione cõmune comprehendi ſolet. Vnde, pręclari naturę interpretes, ex notis quę in ſingularibus conſpiciuntur, clariora, ucrioraq; indicia, ellicere conſueuerunt.

Et notę quidem aliæ, aliis magis inſunt, uimq; maiorem cõtinet, ſed, cum plurimę inuicem cõmiſcentur, maximum in arte diſcrimen efficitur. Quippe qui & ex notarum miſtella diuerſos hominum mores, & conſilia conſyderabis. Accidit aũt nonnullis formę mutatio, cum uel lætitia præter ſolitum exhilarantur, uel dolore, uel ira, ſeu formidine occupantur, aut cũ ieiuniis, uel ſatietate grauantur, ſiue cum eos cupido rei alicuius inceſſerit, aut cũ quid animo conſyderant, uel oculis contemplantur, aut audibili ſenſu animaduertunt: & quidem, in huiuſmodi caſibus, tota ſpecies neutiquam immutatur: ſed, qua ad notas attinet, firma, immobiliſq; conſiſtit. Quæcunq; autẽ ex ipſis permutantur, nõ æque in omnibus permutationem ſentiunt, ſed quantum ad cuiuſq; naturã proxime accedit. Hoc autem conſyderare oportet, q̃d quęcunq; ſigna in quouis, ex affectione prouenientia cõſpicientur, nempe, ſi aliquis eadẽ gentilia cotinebit, illum ipſum indicant magis iiſdem affectionibus ſubiici, quas illa denotant. Exempli gratia, ſi quis ſigna conſyderantis habuerit, prudentem, boniq; conſilii dixeris. Sin autem, & fraudis, & doli notæ alteri inſederint, tametſi impreſentia illa minime agat, cum ea ſcilicet arte quadam obſtruat, doloſum tamen, & fraudulentem eſſe talem recte cenſebis. Si quis item iracundi nota ſignatur, & ſi tunc ira minime ipſum occupet, iræ ta-

men illum passionibus premi credendum est: Idem, & *in aliis iudicii erit. Simili etiam ratione animaduertendum est.* Cum *aliqui fœminea forma prȩditi inspicientur, quod ex oculis, aliisq; partibus patere solet, in quibus quædam ad uoluptatem, atq; ad* V*enerea accomodãtur, hos mulierosos, temerarios, impudentes, uersutos, perfidos, deceptores, quæ peculiaria sunt fœminarum, esse contenderim.* At *qui, in iuuenilibus annis, senilem figuram ostenderint, eos, pauidos, difficiles, suspicionibus obnoxios, parcos, captu faciles, & inconsultos dixeris: quique plurima agere appetant, metu tamen deterentur.*

POLEMONIS NATVRÆ SIGNORVM interpretatio, De Capite.

C*Aput ualde paruum, stultitiæ, & imprudentiæ signum est. Paulo maius mediocri capite, cordati, virilis, ac ingenui indicium. Quod uero modum magnitudine exuperat caput, stolidi, & indocilis hominis argumentum dixeris. Capitis obliquitas, hominis impudentiam significat. Qui autem satis in altum protenso capite prædititi sunt, procacitatis crimine notantur.* At *qui occipitis caua demissa habuerint, pauidorum indicium est. In quibuscunque uero tempora caua utrinque inspicies, dolosos, trucesque, iudicabis. Caput autem quod moderatæ magnitudinis est, ac modice depressum, nec iusta magnitudine careat, omni alia capitis forma prȩstantius, ac ad prudentiam, & magnifica speculanda accomodatius habetur.*

DE COLORIBVS ET PILIS.

N*Atura signorum interpretatio, nobis, à coloribus, pilisq; non satis exacte, expressæq; fieri posse uidetur: quod neq; ex gen-*

tibus ea demonſtrare quis facile queat, cum pluribus in locis permixta inuicem hominum genera uideamus: vt Aſſyrios, Italis, Lybies uero Thracibus, & genera alia, aliis Terrarum partibus quod maiori ex parte cernere eſt, quorum generum miſtella, nobis coniectura uerior intercipitur. Nam, qui arcton incolunt, bona ſunt corporis habitudine, coloris nitidi, ſimi, cruricraſi, uaſti, carne laxa, ventricoſi, ſimplices, iracundi, modici conſilii, parum dociles, multimodæ ſententię, leues mentis, mendaces, deceptores, iactabundi. Et inter ipſos qui molliores ſunt, harum omnium quas diximus affectionum, genera habent. Qui contiguas his regiones incolunt, & rurſus qui magna à meridionali, ac ſeptentrionali plaga locorum intercapedine ſeiunguntur, his magis, minúſue cōmunicant. Mediæ uero regionis incolæ, mediam quādam corporis ſpeciem præ ſe ferunt, & tum ſigna, tum ſententias, cōmiſtas habent. At qui orientis, & occiduos terræ tractus inhabitant, qua utriq; ad meridiem magis accedunt, ipſi inter ſeipſos diſcrepant. Nam Lybies, & qui extremus Lybię occiduis locis inſident, Nomades, & Hyberi, vtriq; in exterioris maris regione ſunt: Sed Lybies, Aethiopibus, ſimiles ſunt. Ad ſummam autem cuncta complectar; Regio quidem meridionalis, ſicci, & calidi maiori ex parte temperamenti eſt, arctica uero humida, ac frigida. Sed aliæ terrarum regiones, locaq; qua ad utranq; harum accedunt, non modo temperamento earundem participant, ſed tum homines, tum cætera quæque pro ſui facultate formas, moreſq; omnibus impertiendo, ſimilia ipſis producunt. Cauſam autem abſoluimus, cur hæc pluribus in locis uarientur, quod ſcilicet, magna mortalium copia, ex aliis, in alias regiones incolēdas migrare ſoleat. Patet igitur ex his quę prius adduximus ſignis, nigrum colorem, timidæ, doloſæq; naturę indiciū eſſe; At flauus, & albicans furoris, et iracundię eſt. Cum uero candor in homine plurimus excedit, ignaui, inditium eſt, ruffus autem corporis color, pernicioſiſſimi hominis, ac variis moribus prędití, ar-

gumenta testatur. Coloris uero aspectus sub pallidus, nisi eius à morbo causa proueniat, pauidę admodum, ac peruersę naturæ adscribitur: Sed quem plurimo infectum pallore uideris, illum pauidum, gulonem, in iram propensum, loquacemq; esse notabis. Flãmeus uero color, delatoris hominis argumentum est. Hominem autem colore modice ad ruborem uergente prȩditum, ingenio ualentem, acrem, docilemq; opinabere. Et hęc quidem de toto corpore explicata satis habeantur.

DE FRONTE.

FRons angusta per se, rudem, magna, imbellem maiori ex parte, segnemq; : in longum uero porrecta, sensatum, & docilem hominem arguit. Frons depressa, nullo preconio digni, & inglorii, hominis est : conuexa, alta, & orbiculata, insensati, impudentisq; : Aspera autem, praui, ac nequam hominis signum habetur. Frons, quasi cacumen quodam habens, & fossulas quasdam in se continens, callidi, ac perfidi argumenta testatur : sed & ex huiusmodi frontis forma, nonnunquam mente captum, furentemq; si & cætera indicia accedant, contenderes. Frons quadrata, primæ formæ ratione, bonũ indicium est : Nam uirum optimi ingenii, prudentemq;, ac recte mentis compotem, & uirilem designat. Vir infra innuente fronte præditus, temerarius iudicandus. Frons ualde distorta, à curis semoti hominis, ac nihil animaduertentis argumentum est. Rugosam frontem, cogitabundi esse indicium censeas.

DE CAPILLIS.

CApilli crispi, hominem admodum pauidum, abominabilemq;, denotant, recti uero inutilem, & stolidum, media autem inter hæc capillorum qualitas, optimam hominis naturam testatur. Capillorum asperitas, cum in ferinis etiam talis conspiciatur, ferinos mores denotat. Nam, Philon quidam, huiusmodi hominem peruersis mori-

bus, & dolosum contendebat. Mediẹ autem qualitatis capilli inter hæc laudabilis naturæ sunt argumentum. Qui autem capillos ualde molles sortiuntur, fœmineæ naturæ habendi sunt: sed in capillis modum excedens asperitas, immites, ferocesq; hominis mores arguit. Ex media autem inter has capillorum qualitates, optimum, ac benignum ingenium iudicabis. Nigri capilli, pauidum, & lucri cupidũ, flaui uero, subalbicantesq; quales esse Scytharum solent, rudem, prauum, agrestiq; ferocia præditum arguunt. Capillos moderate flauescentes gestitans, docilis naturæ, mitisq;, & qui ad fœlicem fortunam tendit, putandus est. Ruffus uero plus nimio capillorum color, sic, ut ad mali punici florem uergat, nihil omnino boni in hominẽ indicare potest: maiore enim ex parte, tales, ad ferinos mores declinant. Crura, satis admodum densis pilis, oblongisq; obsita, ruditati, atq; agrestiori naturæ adscribuntur. Quorum ilia, fœmoraq; præter alias corporis partes plurimis pilis teguntur, lasciuos, luxuriæq; obnoxios, putabis. In quibus, aluus, ac pectus multa pilatura redundat, leues mente, ac ultro, citroq; instabilitate utentes, imbecillesque contenderes. Pectus autem sui ex parte pilis seorsum densis refertum, calidissime naturæ hominem, ac magnanimum denotat. Quorumcunq; humeros scapulasque pilis densari inspexeris, tales auibus similes putabis, nam mente sublimia petunt, ac pendula eorum consilia, & cogitationes semper sunt. In quibus totum corpus asperis, densisq; pilis obsitum inspexeris, illud tarditati, inertiæq; adscribendum putabis. Frontis pili, si ad nasi medium densi demittantur, ad partes uero quẹ utrinque existunt minime, magnanimitatis, & maximæ uirtutis animi argumentum est. Si in quouis ibidem rectos existere pilos cerneres, timidum hominem esse, & dolis præditum censebis. Quicunque superciliorum pilos partim in nasum innuentes, partim uero utrinque ad tempora demissos habuerint, porcorum generi & ingenio, & animi ui cõparandi sunt. Supercilia coniuncta, & densu habentes,

ad tristi=

ad triſtitiam utpotè quæ tales deceat propenſi fiunt.

DE OCVLIS.

OCuli humidi ut aqua fulgentes, hominem bonis moribus præditum denotant. Qui aũt latas oculorum pupillas continẽt, eos prauis moribus obnoxios dixeris. At qui paruas habuerint pupillas, cum & huiuſmodi ſerpentes, ichneumoneſq;, ſimiæ, vulpes, cæteraq; quæ ſubtilem uiſum, prauamq; naturam ſortita ſunt, habere inſpiciuntur, tales, ad eorum ſimilitudinem prauos, peruerſoſq; iudicare queas. In quibus uero circulos qui circa pupillas ſunt inæquales inſpexeris, hi ſtolidi habendi ſunt: ſi uero pręter hanc notam nubecula uel obſcura, uel palleſcens, aut turbida fronti eorum inſederit, non te fugiat eos à dæmone omnis generis nocumentis lędi. Cum autem nubes ipſa ſuperciliis inſederit, & orbes impares pupillas ſemper eodem modo comitantur, tales, impietatis opera patrabunt, utpotè qui cognatorum cede, aut coitibus fœdantur, uel cibis ueſcuntur nephariis, & qui idolis offeruntur: qualia Micenis Pelops, & Oedipus Laifilius Thebis feciſſe à Thragico poeta memorãtur, & pręſertim, ſi ipſi oculorum orbes ſemper eodem modo tendentes uagabundi extiterint, ita iudicabis. Qui conuerſos circa pupillam circulos, qui cũ motu ipſo iuncti feruntur, habuerint, hi impia moliuntur, ad quę furenteis animi uis eos impellit, hinc fit, uti prauis conſiliis quaſi à peruerſo quodam Dęmone exagitati infenſi omnibus reddantur, et propterea, alia, atq; alia ſemper cogitantes, nihil perficiunt, ſed cuncta peruertunt: & horum oculi cordis arcana manifeſta reddunt, quoniã ſigna quæ in oculis cernuntur, idola affectionum cordis ſunt. Homines, oculis quaſi concretis, prominuliſq; præditi, abſurdos habentes mores iudicandi ſunt. Qui, ſi humidiuſculi fuerint, pauidum: ſi ſicci, perturbationũ multitudine oppreſſum indicant. Et ſi eoſdem pallor infecerit, furioſum hominem arguunt. Quoſcunq; ſupercilia ſurſum eleuare, & ſpi-

ritũ ab intimis trahere inſpexeris, hi homines praui conſilii, ſæui, praua cogitantes, uindictaq; gaudentes ſunt. Oculi rubore infecti, prominentes, & magni, hominem gulonem, laſciuúmq; eſſe teſtantur. Et ſi qui tales ſortiti oculos fuerint infra ſpectabunt, impudentiæ ſignum, & iniquitatis, ac difficilis naturę eſt. Quemcunq; paruis prominulis oculis pręditum inſpexeris, auarum, ac omnia lucri gratia meditantẽ puta. Si autem cum his oculorum indiciis totum corpus promineat, in iram propenſum, nec non uiolentum iudicabis. Si quis mediam frontem ſimul cum ſuperciliis contrahit, hominẽ uili lucro intentum denotat. Hominem cæſios habentem oculos concretos, ac tenebricoſos, neutiquã tibi amicitia copulare ſtudeas, ſed nec tibi uicinum habere exoptes, doloſus enim talis eſt, & moleſtiis, calamitatibúſque amicorum inuigilat, caue ipſum itineris tibi comitẽ iungas. Oculi tremuli, quaſi exterefacti, ſuſpicionibus obnoxium, nulliq; ſatis fidei habentem, denotant. At qui cum oculis palpebras motant, imbelles, infirmiq; qua ad animi fortitudinem attinet, exiſtimandi ſunt. Quos uero oculorũ celleri motu utentes inſpexeris, palpebras immotas continentes, fidentis animi homines, & audentes ſunt habendi, ſuiq; audentiam in rebus arduis oſtendunt. Tardus autem oculorũ motus, ſegnitiem, tarditatemq;, atq; inertiam, & male ſenſati hominis naturam denotat. Oculi contra omnia caligantes, uanum, immodeſtúmq; hominem arguunt. Qui magnis oculis fuerit præditus, illum ſtolidum, uanum, gulonem, uinoſum, ac laſciuũ teſtantur; & hoc maxime deprehenditur ſi tremor huiuſmodi oculis inerit. Oculi parui, & tremuli, ſi cęſii fuerint, impudentiã, perfidiam, iniquitatiſq; crimen denotant, quiq; peruerſam in alienas res mentem continent, ac ſibi ex aliorum calamitatibus uictum quæritant. Oculi parui, cum fuluo nigricãtes, idem ſignificant: At nigrum à fuluo in hoc diſcrepat, quod fuluis præditi, magis ad ſtoliditatem uergunt, nigris uero irę difficilioris, atq; ad impudentiam, & impietatem propenſiores habentur. Oculi clauden-

teſ ſeſe, eſtuanteſq;, venereis deditum, ac molem, ſed haudquaquã iniuſtum, malignúmq;, aut inelegantem, uel prauum natura hominem dixeris. Exiguę ĩ paruis oculis pupillę, hominis degeneris naturę, auariq;, ac doloſi argumentum habentur. Cęſius in ſiccis oculis color, impiis moribus pręditi indicium eſt, & huiuſmodi vir, à bile exagitari ſolet. Oculi cerulei, cum humidiuſculi fuerint, & ob id melior ipſorum quam cæterorum cõmunium oculorum conditio ſit, doloſos homines teſtantur. Quicunq; ceruleos oculos, humidos, magnos, ac ſtabiles habuerit, vir optimis moribus iudicabitur: Verum & tales in irã propenſi ſunt. Qui autem imbecilles oculorũ orbes continent, & oculi ipſi ſubalbicantes uiſuntur, natura huiuſmodi homines imbecilles, ac pauori obnoxii redduntur. Sed quoniam imbecillitates oculorum in fuluo colore magis, quàm in cæſio fiunt, ideo de cæſiorum imbecillitate deinceps referemus. Cærulei itaq; in oculis, & circa pupillam calculi, milii granorum magnitudinẽ exprimentes, ſi & alii flaui fuerint, ſic ut in aliquibus æque inuerſi ordinem circa pupillam conſiſtant, hoc pacto diſpoſiti oculi, doloſos hominis mores, & vafros arguunt. Oculi imbecilles, & parui, ad lucrum pronę, ſeruiliſq; naturæ, & nihil non parandæ pecunię gratia molientis, & aliud promptũ in ore, aliud uero conditum in pectore geſtantis hominis eſt, quiq; & ſi nihil ipſi emolumenti eueniat, huiuſce tamen artis oblectamẽta ſentit, & in ſummam quæcunque ſibi praua in mentem uenerint, lucri cauſa, clámq;, palámq; agere, neutiquam abſtinet, niſi quatenus præ formidine à talibus detereatur, imbecilles enim huiuſmodi homines ſicuti lepores habentur, & ipſis ſimilẽ oculorum ſpeciem habent. Rectus oculorum ſtatus, probi viri indicium habetur. Oculi ſurſum directi, ſtultum hominem, attonitúmq;, uel morbo qui ſacer nuncupatur obnoxium, & gulonem, ac luxuriæ deditum, uinolentúmq; teſtantur. Si uero ad hæc, & tremor talibus oculis inerit, haud multum à morbo comitiali diſtat: Si eoſdem pallor infecerit, ſæui, inhumaniq;

ingenii, actimidę, inuidentisq; naturę, nec non homicidæ argumentum habetur. Si idem subruffi, ingentesq; fuerint, hominem potu gaudentem, dicacem, mulierosum, canibus oblectantem, turpiloquũ, imperiosum, & vanum indicant. De oculis infra conuersis, quasi supplicibus idem iudicium, quod & de sursum directis habendum est, nisi quod hi hoc plus habent, quando ita dispositi agrestẽ hominis ferociam, & implacabilem iram testantur. At si alter oculorum sursum dirigatur, alter uero deorsum, & tremor in ipsis inerit, & supercilia conniueant, & ipsorum medium magis appareat asperum, & densum, talis iam penitus comitiali morbo obnoxius est. Oculi retorti, siquidem ad dexteram tendunt, fatuitatem, si vero ad leuam incontinentiam indicant: At si ad interiora spectantes visuntur, ut si ad nasi partes innuant, huic quidem gratia arridet, hic & Venereis oblectatur, amabilemque hunc, & amatorem dixeris. Si uero aridiores, patentesque fuerint, & tremuli neutiquam sint, valetudinarium denotant, nec Venus sibi, nec gratiæ, nec amor arrident, verecundia enim ipsos, & pœna præoccupat. Si vero tremor cum lachrymis inerit supremæ temeritatis argumentum est. Oculi fului, à nigris discrepant, multæ enim sunt ipsorum species: & nigri quidem oculi ignauum moribus hominem, pauidum, & infidum testantur. Fului autem tales specie sunt, nam, color specie niger, ipsos decoros reddit. Si enim, ut milii granula calculi in nigris oculis ignei, aut albi, uel ad albedinem vergentes, alii aureoli, & alii pallescentes ignitis admixti, sed & sanguinei in igneis oculis calculi uisuntur, hos fuluos dixeris. Sunt qui granula in huiusmodi oculi specie, non habent: omnes autem exteriorem rotulæ partem nigram ferentes, & in ipsa flauedinem, alii intra nigredinem, flauum subalbicans, alia non admodum flaua sint, ita quod à longe nigredinem representent, generosos in talibus mores, ipsosque prudentia præditos & taciturnos, & magnanimos indicabis. In quibus oculis

ignitus color non granulatus fuerit, ſed quadrangulari figura quadam ignis inſtar refulgeat, & propter hanc, palleſcentia granula fuluis admixta, & alia cæſia, & ad ſanguinem, ceruleúmque uergentia pupillam ambiant, ſi ipſi oculi magni, fulgenteſque præ ſui motu ſint, atque inſpiciant, tanquam irati ſolent, ad hæc & palpebras reſerent, omnes talibus pręditi oculis, cum ad luporum, aprorúmque naturam accedant; inutiles, ſæui, agreſtis ferociæ, & rapaces habendi ſunt. In fuluis autem oculis granulorum magnitudo, mitiores hominis mores, paruitas uero, ſæuiores demõſtrat. Oculi palleſcẽtes, ad dolum propenſos denotant: At ſanguine infecti, inconſultos, & ociſſime quę propoſuerint efficientes arguunt. Quicunq; oculi granulis fuluis, haudquaquam præditi uiſuntur, ſed ſunt uariegati quibuſdam talibus, magnitudinem, & colorem habentes, & nigredinem, uel etiam flauedinem cum humiditate contineant, nullúmq; aliud ſignum abſurdum appareat, prudentem, iuſtum, magnæ mentis, præclari ingenii, ſed ad puerorum amorem pluſquam par ſit propenſum denotant. Si autem nigros oculos viriditas infecerit, doloſum, iniquũ, pecuniæ furem, mulieribus turpiter, impudiceq; congredientem hominem cenſebis. Oculi aridæ qualitatis, & toti punici mali colorem referentes, uanitatem hominis indicant. Humidæ qualitatis exiſtentes oculi, magnifici animi, & fortis, veraciſque naturæ, ac recti conſilii hominem denotant, ſed qui propenſus ad iram, ac Venerea maxime exiſtat. Oculi ualde concaui, nullo prorſus efferendi preconio ſunt. Quos autem concauos, vt aquam in vaſe, inſpexeris, ſi magni ſunt, atq; agitatione careant, hominem haud prauę naturę, niſi aliud ſignum interceſſerit, iudicato. Oculos utiq; qui concaui ſunt, uti à turpitudine abſint, magnos eſſe oportet. Oculi concaui, & exigui, doloſos hominis mores teſtantur, ac proditorem, inuidiaq;, ac emulatione tabeſcentem denotant, quique maiori emulatione flagret, & præter hæc quæ retulimus mala, incredibilitatis, ſacrile-

giiq; crimine notantur. Oculi defixi obtutu in uno herentes, probos mores: at fluidi, doloſiores: ſi fluidi cum mollicie quadam fuerint, dementem indicabunt. Prominentibus oculis prȩditos, neutiquã laude dignos cenſeas. Quos tumor oculos circundabit, & quȩdam ut profundȩ foſſæ, anguſtȩq; ſubſequentur, doloſi hominis ſigna interpretabere. Omnes ſurſum tendentes oculi, leonis ferociam, uanitatẽ, inſaniámq; denotant. In quouis, proſilientes, ſanguineos oculos cernes, vinoſum, gulonemq; iudicabis. Sed ſi tales cæſii fuerint, iniquũ eſſe, incompoſitæque mentis hominem cenſeas. Si etiam oculorum genas contineant, plurimæ dementiæ ſignum eſt. In quibus turgiduli oculi ad aridiorem naturam uergunt, tales oculos ſortiti patricidæ, nec non puerorum corruptores, & venefici, ac his ſimilium patratores exiſtimandi ſunt. Qui uero ſublimes, magnos, fulgentes, nec non humili obtutus geſtarint oculos, illi iuſti, prudentes, ſtudioſi, amoriſq; pleni homines ſunt, qualis Socrates philoſophus fuerat. Oculi ex facie plurimum extantes, ſi valde parui, & igniti fuerint, impudentem, veruntamen debilem, tum corpore, tum oratione hominem arguunt. Qui obſcuros habuerint oculos, illos imprudentes iudicato. Sed ſi idẽ oculi aridiuſculi conſpicientur, impietatis, eos inſimulare non dubitabis. Si vero parui, & turbidi fuerint, proditores, malorum artifices, conſiliaq; reuelantes deſignant. Oculi obſcuri, humidi iuſtæ magnitudinis, morum conſtantiam, curam vegetam, ſpectatum ingenium, & docilem, verecundum, timidum, parcumq; hominẽ teſtãtur. At quibus tales ſqualentes fuerint, doloſos, infidos, incontinenteſq; homines iudicabis. Oculi clari luminis, niſi alia nota adſit, quæ impediat, optimos mores prȩ ſe ferunt. Quoſcunq; ſplendentes inſpexeris, ac qui lumine non modico illuſtrantur, ſi cæſii, ac ſanguine infecti fuerint, feruidum in quolibet opere peragendo, audaciſſimumq;, utpotè qui proximus furori ſit, talẽ indicant. Si in fuluis oculis ſplẽdor inerit, tales ſupremo pauori obnoxios dicas: Quippe qui omne negotiũ pertime

ſcentes, externantur, et ſuſpicionum pleni ſunt. Nigri oculi ſplendore notabiles, prauos, doloſos, & ualde maleficos teſtãtur. Qui autem nigros habuerint oculos, qui leniter ſubrideant, huiuſmodi homines, in omnem turpitudinem neceſſario coguntur. Oculi humidiuſculi, horrendum intuentes, in iram propenſos, acres, furioſos, ſermone, & actionibus properos, inconſultos, temerarioſq;, ad dicendum teſtantur, & in ſummam nequiſſimos huiuſmodi homines iudicandos cenſemus. Aridi uero oculi, prauos, impioſq;, cum huiuſmodi exigui, & concaui fuerint, deteriores, quam quos diximus homines, iudicandi ſunt: qui, tametſi grauitatem habeant, nihilo tamen ſecius, proditores, ſimulatores cuiuslibet rei, diſſimulatoreſq; habentur, ac qui tum mentem, tum conſilia ocultant, eoſq; omnium rerum cupido ſollicitat. Nam, ſi huiuſmodi oculis funiculus immineat, & ſupercilia aſpera, & palpebræ erectę ſint, furentis, & animi impetu ruentis, ſignum interpretabere, eundemq; inconſulte ferri, prauúmq;, ac audaciſſimum iudicato. At quibus hoc pacto (ut aſſeruimus) tum funiculus, tum palpebrę, ac ſupercilia diſpoſita uiſuntur, eruntq; aſpectu truci, & inamœno, deteriores hominum mores, quam quos explicauimus dixeris. Quibuſcunq; oculis, uoluptas, riſuſq; inſidet, nõ admodum laudabiles opinamur, tales enim doloſæ mentis homines, & quorſum tendant celantes conſilia, nihilq; non peruerſe, maligneq; molientes putandum. Oculi, qui ſubmiſſo intuitu ipſo arrident, & idem arridiuſculi fuerint, illud ſupremę hominis nequitię adſcribendum eſt. Oculi concaui, riſum præ ſe ferentes, hominem, malũ ſemper aliquod, mente agitantem denotant. Quicunq; patulis præditi oculis, toruiſq; fuerint, tales homines actiones ſuas iniquis operibus complent. At in quibus patentes plus nimio oculos, ad riſumq; propenſos inſpexeris, mores talium ad prodicionem ſpectare iudices. Cum tales ſicciores fuerint, innocuos homines, & ſcelerum immunes, uanos alioqui, & abſq; affectione amoris, ac incontinentes denotant. Oculi ſubriden-

tes, cum humidi ſunt, & palpebrę remiſſæ, frons in longum protracta, utraque hęc raros hominum mores, iuſtos inquam eos, mites, pios, hoſpitales, prudentia pręditos, boni conſilii, dociles, ac maximo amore inſignes teſtantur. Oculi qui triſtitiā præ ſe ferunt, & humidę qualitatis ſunt, ſupplantatoris hominis, & dolis operam dantis argumentum dixeris. Si uero acciderit, uti pręter huiuſmodi oculorum triſtitiam, & ſupercilia ſubmiſſa, & frons leuis unà cum auſteritate ſit, fidi hominis, pietateq;, ac conſilio inſignis, & prudentis, ſignū putabis. Aridi oculi, & triſtioris intuitus, ſummæ beniuolentię hominis argumenta teſtantur. In quo autem aſpera frons, intentuſq; intuitus, & cilia recta inſpicientur, praui cōſilii hominem iudicato, & qui ad omnes res peragendas feſtinet: ſeque à nullo facinore abſtineat, ſed ueluti neceſſitate quadam impellēte, ad quę mens ipſum induxerit adimplenda, preceps fertur. Oculi qui clauduntur, ac denuo recluduntur, proditorem hominem, prauúmq; denotant. Si uero, in ipſis humor inerit, accuratum, artiúmq; ſtudioſum dixeris. Si uero tremore agitātur, eoſque pallor infecerit, inſania tales homines, ac morbo comitiali, torquētur. Quibuſcunque oculis extenſio inerit, ſi, quidem, ſemper dum clauduntur ſub fluidi fuerint, ac ſi ſurſum uergunt, intemperantem, ac uanum huiuſmodi hominem, dementemq; eſſe teſtantur. Si humidi, rectiq; fuerint, & maxime claudantur, & fulgentes ſint, fronſq; leuis appareat, verecundum hominem, recti cōſilii, ſtudioſum, mitis ingenii, & amabilem recte dicere queas. Si autem tales aridos inſpexeris, temerarii, maligni, impiiq; ſigna iudicato. In quibus aſperam frontem cernere accidet, ſupercilia cōtracta, palpebras uero duras, concretaſq;, agreſti ferocia, in temeritatem propenſum, & qui laudibus inflatur, honoreſq; affectet, quiq; nunquam nō largitionibus obnoxium animum reddat, cenſebis. Qui palpebras nō rectas habuerint, neq; ſupercilia, in eis prona, uerum tremula ſint, & oculis cum uiſu tremor inſit, tales homines cum maſcula agant, &

muliebria patiantur, viri videri conantur. Qui oculos frequenter in magnis rebus aperiunt, & vnà firmos, vt qui consyderant continent, culpam sui, ac animi conceptum detegunt, & hęc quidem demonstrantur. In omnibus oculorum qualitatibus, in humida: fulgente: opaca: magna: breui: concaua: eminenti: intenta: atq; alia quapiam, quas in his sępius diximus. Quicunq; igitur oculos semper apertos continebit, si, quidem, obscuri in eo, & humidi extiterint, accuratum in rebus agendis hominem indicant: & si ad hæc in illis, mitis, placidusq; aspectus fuerit, probi hominis indicia testantur. Oculi hiantes, aridi, ac fulgiduli, & puri luminis, impudentium hominum, ac supremæ audatię notas dixeris. Oculi assidue cõniuentes, pauoris signa sunt, tales etiam homines proditionis crimine notantur, dolosique, ac clàm scelera molientes iudicandi sunt. Si tales distorti, atq; infecti pallore fuerint, dementiæ euidentissimum argumentum habetur. Oculi non cõniuentes, si horridus eorum aspectus fuerit, scelus aliquod molientem hominẽ: si vero placidus & humidus, accuratũ, discendi cupidũ, amabilem, et placidos habentẽ mores indicant. In quo uis stabiles, ac pallore infecti, seu rutili simul cũ siccitate uisuntur, scelesti hominis mores, cõtentiosiq;, atq; in irã propensi, nec non dæmoniaca nequitia præditi, & stolidi testantur. Si autẽ talis oculi ipsi, in se ipsis circumuertuntur, talibus oculis præditos, vehementi insania labordre scias. Si oculi venter infra protenditur vinosum, somnolentúmq; denotat. Si sursum tantum uergat, & nõ deorsum, de hoc, idem existimãdum est. Oculi subruffi, si ariduli fuerint, hominis iracundiam, si humidi, ad vina propensum significant. Oculorum cæsietas, agrestem hominem testatur. (Plura enim animalium rationis expertium cæsia) nam cicura fermè omnia nigricantibus oculis inuenies: sed ex cæsiis, color qui ualde ad albedinẽ vergit, timoris, qui uero ad bilosum, agrestis naturæ argumentum est. Oculorum color, qui oleæ colorem representat, fortem virum testatur. Quos uero, plurima nigredo infe=

cerit, difficilis naturæ, & fraudulentis iudicato. Flaueſcens vero eorum color, fortem, & magnanimum deſignat. Cum ſpendentes oculos copioſus color comitatur, hominem furtis oblectãtem arguit. Oculi acres, terrorem incutientes, rapatium ſignum eſt. Qui uero ſubtiles fuerint, ac palpebras demittant, androginos eſſe dicimus. Quicunq; autem homines alteram palpebram, alteri ſubiiciunt quaſi calliginem abigentes, hiq; miti, blandoq; intuitu ſunt, hoc imaginationibus premi, & corporis cultui indulgentes, adulteroſq; iudicato. Tum & qui medias palpebras comprimunt, retrahũntq;, ac veluti formidine opreſſi ſurſum trahunt, mœchi, & ipſi homines ſunt.

DE AVRIBVS.

AVres, magnę, ſtolidæ naturæ indicia ſunt. Aures, paruę, hominem prauis moribus prędituum, uerſutũmq; teſtantur. Aures paruę in longum protenſæ, quaſi caminę, ſtultum hominem arguunt. Quadratæ aures, ad moderatam magnitudinem accedentes, fortem virum, laudatiſq; moribus prędituum denotant. Aures elaboratæ, quaſi ſculptę, & ſi ualde rotundę fuerint, rudioris naturę ſunt. Aures excauatę, prudentẽ virum denotant. Anguſtę, oblongæque aures, inuidi, ac prauis moribus prędit hominis ſigna præ ſe ferunt.

DE NASO.

NAſi extremum tenue, in quolibet homine æſtuantis iræ: craſſum uero, & depreſſum, abiecti hominis indicium eſt. Naſus plenus, obtuſuſq;, ac rotundus, & ſolidus, cũ huiuſmodi in leonibus, & generoſis canibus inſpiciatur, fortem, & magnanimum virum teſtatur. Naſus longus, & ſubtilis, cum Auicii generis habeatur, tales, & hominis illius mores iudicato. Naſi forma, ſi ad frontem recta procedat, probum, fortem, ac prudentia prędituum virum denotat. Quæ autem ab hac diuerſa eſt, effœminatum, atq; indocilem arguit. Rectus naſus, blateratorem, linguacemque ſignificat. Naſus pręgrandis, probi viri indicium eſt. Qui naſo plus nimium breui fuerit pręd-

tus, accusatorem esse, ac delatorem censeas. Qui aduncum nasum habuerit, præclara mente, & ingenio præditum putato. Simi nasi forma, hominem luxuriæ deditum, ac adulteria patrantem denotat. Homines, hiantibus naribus præditi, uehementes, iracundi, & ualidi, ut tauri, leonúmq; genus habentur. Obstructas uero nares habentes, fatui censendi sunt. Valde retortus nasus, magna ex parte tum mores, tum mentis propositum retortum, peruersúmq; denotat.

DE SPIRITV.

SPiritus semper deficiens, quasi halitu careat, curarum plenum arguit: Qualibus autem cogitationibus prematur, ex oculis deprehendas. Qui autem contento, ac multum conferto sermone loquitur, quasi fluxu, & inundatione, talem molestia quadam premi iudicabis. Qui caput agitantes suspiria edunt, scelere aliquo uitam deturpasse uidẽtur: siue quod mente uidet, quasi oculis cernat, consilio uitare satagit, aut pœnitẽtia, patratorũ memor, premitur. Spiritus qui quasi per interualla fertur, sine strepitu procedens, optimam hominis fortitudinem significat. Spiritus, qui cum fremitu, & uehemens emittitur, agrestis hominis, atq; ebriosi indicium est. Spiritus, qui cõcitatus tanquam asthmatici agitatur, hos consilio carentes, peruerso animo, omnium rerum cupidos, uerbosissimosq; censebis. Qui autem sublimem spiritum ducunt, si assiduus, et agilis è naribus efflatur, his pauor, tristitiaq; dominatur; & cum alia signorum indicia conuenerint, huiusmodi homines androgini efficiuntur.

DE MALIS.

CArnulentæ Malę, inertiam hominis, ebriositatemq; arguunt. Quem, genis plus nimio exilibus præditum inspexeris, prauis moribus hominem esse, vafrúmq; notabis. Crassas habẽtes maxillas, si ab oculis distare uisuntur, inuidorum numero hominum adscribendi sunt. Malæ rotundę, dolosis moribus hominem denotant. Malæ oblonge, nugacis hominis, & vanaloquentis signa sunt. Qui totam

faciem carnulentam habuerint, iucundum moribus, & uiuidum hominem iudicabis. Facies macilenta, curiosum, & proditorem hominem testatur. Facies ualde ampla, fatui, & indocilis indicium est: In facie enim potissimum apparet, magnificentia, illiberalitas: probitas: & improbitas. Ex ipsa nanque facie, anxietas, studium multum, disciplinaq;, ac rectum consilium, tristitia, luctus, nec non suspitio, uigilantisq; naturæ mos, & alia, ut singula se habent, ea quæ ad prauam, laudabilem naturam attinent maxime cōprehenduntur: & qualis affectio huic conueniat, tametsi ex naturalibus signis interpretati sumus, cum de genis superius diximus: & rursus item de eisdem referemus. Malarum, & faciei contractiones, si in tristi uultu appareāt, dementiam, si in hilari, adulteria patrantis, & incontinentiæ signa iudicato. Facies ipsa per se rubicunda, asperos, & truces hominis mores testatur. Si uero malę tantummodo huiusmodi colore inficientur, ebriosum hominem iudicato.

DE ORE.

OS, *nec prominens, neque ualde depressum, instabilem, ac mutabilem hominem indicat. Exiguum os, fœmineæ naturæ hominis indicium est. Magnū uero os, uirili naturæ adscribendum. Oris, nimia dissectio, stolidissimi, immitis, & impii hominis signum censendum: tale enim os arietum est. Quibus ad caninos dentes labia tument, quod in canum genere uisitur, tales, furibundos, procaces, clamosos, proditores iudicato. Quibus autem os ualde protensum est, iidemq; crassa labia, ac rotunda, & quæ sunt sursum exterius retracta habuerint, hos, tum moribus, tum actionibus, porcorum generi assimilabis. Si labium, quod sursum est inferius excedit, dementiæ hominis adscribendum. Cum vero inferius prominet, haud prauis moribus, verum maiori ex parte uanum, vulgaremque hominem arguunt. Exiguum os, exterius prominens, prauos homi-*

nis mores, & proditores indicat. Os rotundum, ac in foueas dehiſcens, inuidum hominem, & prauos habentem mores, incontinentiæq; obnoxium teſtatur.

DE VOCE.

Grauis, ſed corruptæ admodum uocis ſonus, dementis, iniurioſi, & gulonis indicium eſt. Vox turpe ſonans, nec non ad balatum uergens, hominis ſtoliditatem teſtatur. Quibus autem à graui incipiens uox, in acutum deſinit, aſperis eos moribus, & grauis iræ cenſeas. Acuta, atque aridum uox ſonans, uarii hominis naturam arguit. At qui acutam, mollemque, ac flexu facilem uocem habuerit, androginus cenſendus eſt. Qui autem profundam uocem, nec flexu facilem edunt, generoſis moribus decorantur, ac præclaro ingenio, iuſtitiaque inſignes habentur. Quibus item mollis vox, & graue ſonans eſt, & hos probis moribus præditos iudicabis. Qui cum clangore acutũ ſonant, ut quæ auitii generis, hi utique uani ſunt, & tumida, atque excelſa cogitantes habentur. Vox nanque imbecillis, ac flebilis, habendi cupidum, ac triſtitiis depreſſum, nulliſque non in rebus ſuſpicionibus obnoxium teſtatur. Quibuſcunq; autem uocis ſonus è naribus fertur, mendaces, improbis moribus præditi inuidi, ac in aliorum damna nimium procliues cenſendi ſunt. Qui uocis ſonum ab intimis trahunt, in irã propenſi, uiolenti, & flagitioſi habentur: ac qui hominũ oſores eſſe conſueuerunt. Acuta uero, ac imbecillis uox, pauidi, & inuidentis indicia denotat. At quę concitato impetu uox fertur, cõſilii expertẽ eſſe, ac impium arguit. Cuicunq; uocis ſonus breuis eſt, deſidem, pauidúmq; cenſendum. Qui aũt ſonum uocis difficulter edunt, malitioſi, demẽteſq; magna ex parte habendi ſunt. Et ſi quidem in homine aliud quidpiam ſit quod ad ſonum quorumcunq; animaliũ referri poteſt, id potiſſimũ uox eſt, ut quicunq; ſi-

milem alicui ex ipſis animalibus ediderit uocem, ad naturā illius ſimiles hominis mores referendi ſunt. Nam cernere quoſdam eſt, Suili uoci, uel ſimiarum, ſeu aſinorum, nec nō equorum, tum pecudum, aliorumq; animalium generi ſimile quoddam ſonare. Ad ſummam, in omnibus, ut corporis motus, vox, color, quę maxime ſimul conſideranda ſint, magnitudo, & concinna membrorum conſtitutio cōueniat, animaduertere opus eſt: in quibus omnibus, mediocritas, maiori ex parte præſtantis uſus eſt: ab ipſa uero diuerſum, moleſtum ſemper habetur.

DE MENTO.

QVi nimium protenſum mentum habuerint, nequiſſimi homines, atq; importuna loquentes, ſuſurratoreſque ſunt. Mentum uero paruum prauum hominem, et proditorē denotat: tale etenim mentum in ſerpentum genere viſitur. Si uero quiſpiam rotundū mentum, pilis raris refertum cōtineat, imbellis, effœminatiq; ſignum eſt. Mentum in extrema parte diuiſum, ſic ut bifidam exprimat formā, ſi talis figura immodica appareat, doloſis moribus adſcribenda eſt. Qui enim menti figuram, decentis magnitudinis ſortietur, ad Venerea propenſum eſſe, & gratias ſibi aridere iudicato.

DE LABIIS.

LAbia demiſſa, ſic ut ſuperioribus inferiora ſubdantur, animoſi, & fortis naturam indicant: Nam huiuſmodi labia in leonibus cernere eſt. Exilia labia, ſi amplum oris hiatum efficiant, (deficit ſignificatio) ſi anguſto in ore ſubtilia labia fuerint, imbellē, doloſumq; hominem arguunt.

DE COLLO.

COllum valde exile, ſi in longum protenditur, timidum, prauoſq; mores habentem, teſtatur: Craſſum uero, & ſatis longum ſortiti, in iram propenſi, iactabundi, temerariiq; habendi ſunt. Collū uero tum craſſitudine, tum longitudine mediocritatem optinens, quā

formam recte compositam, ualidamq; appellauerimus, fortis naturæ, docilis, præclariq; ad virtutem capescendam ingenii, iudicato. Est uero, ut non nunquam, huiusmodi colli forma, imbecilli naturæ, uafroq;, ac fraudulento ingenio adscribatur. Quibuscunq; collum neruis contenditur, tales praui homines sunt, ad quæ, si plura alia, atque alia accedant indicia, ab insania correpti, mentis damna patiuntur. Qui magna uascula circa collum habent implicata, hi uocis usu priuantur. Quibus aspera caro, bonæq; habitudinis colli confinia cõplectitur, pauidi homines sunt. Qui autem uertebram ceruicis asperam continent, hos morum asperitate præ cæteris natura notauit. At totum asperum collum habentes, rudis ingenii usquequaque censendi sunt. Ceruix obesa in sumitate, indocilem hominem, nec non ad iniuriam inferendam propensum denotat. Collum concretum, nec non accliue, improbi, temerarii, ac indocilis hominis habetur. Asperitas uero in collo, cui si & alia signa concurrant, hominem ab insania corruptum iri testatur. Collum deforme habentes, secum ipsi quasi alii adsint disputant, & se ipsos artibus, ac laboribus innumeris distorquent. Qui ualde fractum collum habuerint, hos androginos esse, seseq; ipsos irritant, & qui turpitudinem suam, atq; incontinentiã occulere studeant: Accusat autem ipsos contractio labiorum, & oculorum peruersio, pedum expansio, podicis, seu illiorum crissatio, manuũ solutio, non inuenientium locum, uocis clangor, collum non ualide in ipsis spondilis compactum, sed tremens, utpotè ab extensione ipsius uiolenta. Fractio autem labiorum, androginum indicat, si & alia signa concurrerint, compositio autem moderata colli, probi hominis signum est, acliue collum, stultitiam indicat: hoc autem nonnunquam cogitabundum demonstrat. Sursum erectum collum flagitiosi, dementis, stultæ de se ipso persuasionis, nisi id ob molliciem quandam agat. Incuruatum autem collum, fatui hominis, parci, praui, neq; simplicis, atque animi rectitudinem habentis, indicium est. Collum in dex=

teram aspiciens, prudentis, & ornati, ac prouidi hominis, ad sinistram uero inconsyderati, ac insipientis. Si autem ad quamuis aliarũ partium collum respexerit, non bonum signum est, quoniam uirile ex mente damna patietur.

DE GVTTVRE.

GVttur asperum, leuem mente, loquacem, proteruæq; linguæ, at prolificum hominem denotat. Cui autem uertebrum extra nodum solidum, robustiúmq; prominet, difficilis naturæ molestum, compotationibusq; gaudentem iudicabis. Quibus uero clauicula consepta fuerit, non recti sensus hominem, aut boni quippiam agentem censebis. Clauicula depressa, hominem nihil boni agentem iudicato. In quo uero eminet clauicula, illum ignauum iudicato. Qui autem illã recte dispositam habuerint, prudentia præditos, uiriles, ac fortes viros denotat.

DE HVMERIS.

HVmeri crassi, haud laudabilis naturæ argumenta sunt. Humeri extenuati, & imbecilles, imbelli homini, ac pauido adscribuntur. Si uero exiles, acuminatiq; uerticis fuerint, prauos hominis mores testantur.

DE VLNIS, ET MANIBVS.

CVm vlnæ oblongę in aliquo fuerint, ut manus extensæ quasi ad genua accedere uideantur, tale indicium ad acutum ingenium, validæq; naturę hominem referendum. Curtæ uero, sic ut infra protensæ à genibus tantum distent, ut eleuatæ supra caput coniungi, nisi coactæ queant, prauę naturæ, & malorum ministri, ac in malis gaudentes, seseq; in his exercentes, & inuidi habendi sunt. Vlnæ ualidæ, & cubiti cum suis ossibus bene compacti, atque articulati præclaram, laudabilemq; hominis naturam indicant. Si hęc omnia dissoluta exiliaq; fuerint, imbellis, timidæq; naturę argumenta sunt. At in quouis hæc multum carnosa conspicientur, indocilem hominem,

nec satis sensibus ualentem arguunt. Manus molles, leuesq;, bono in genio prȩditum testantur. Manus admodum breues, dementem hominem denotant. Si autem crassȩ, nec graues, & ipsæ angustȩ, exilesq; fuerint, infidissimi hominis argumentũ iudicandum. Manus crassȩ, digitis breuibus, & latis, inexplebilem hominem indicant. Breues plus nimio manus, uersutũ, furemq; esse arguunt. Si in aliquo facta dimensione à summo pectore, pars quȩ inde est, usq; ad pubẽ maior inueniatur, quã illa, quȩ inde ad clauiculã tẽdit, stultos, & gulones recte dixeris. Spaciosum, & amplũ pectus, à fortis uiri, ac robore prædi ti prȩconio nunquã alienum. Angusti pectoris aspectus, pauidum hominẽ, imbellemq; indicat. Carnosum pectus, rudem naturã hominis, ac timidam denotat. Quibus autẽ mamillarum partes inertes pependerint, & totum pectoris spatiũ, uastũ, carnosũmq;, & laxum fuerit, tales omni dubio procul mœchos: nimioq; uino gaudentes iudicato.

DE DORSO.

Dorsum ualidum: optimi uri est. Imbecille uero, & paruum, pauidi, & pusillanimi censendũ. Quibus caro quæ in dorso est multa uisitur, sicut dorsum auctum cernatur, tales stolidos dixeris. In quibus uero angusta excreuerit, stultos iudicabis, latus scapularum tractus, præclarȩ mentis signum est. Dorsum moderate rotundum, prudentis, & hilaris naturȩ, ac munificȩ signum iudicandum. Dorsum conuexum, & humeri ad pectus innuentes, prauũ esse hominem, & inuidum arguunt. Si uero ad hȩc quȩ diximus & corpus acliue fuerit, impudenter prauũ, inuidum, auarũ, & tenacem dixeris. Pectus autẽ subrubescens, internũ iræ feruorẽ testatur: quẽmadmodum & venȩ ceruicis, & quȩ circum tẽpora sunt cũ tumentes appareant, & sanguineum colorem representant, idem significabunt.

DE GIBBO.

Gibbus homo: minime probus, nisi ipsi passio hæc ob membrorũ humorem proueniat: aut alia quȩ conueniãt indicia sint. erecti

corporis homo eũ eſſe, qui uenationibus oblectatur tale ſignũ oſtendit.

DE COSTIS.

EXiles coſtæ, imbecillem hominem, ignauũmq; arguunt. Cũ uero plus nimio latę, carnoſęq; inſpiciẽtur, rudis, indociliſq; naturę argumenta ſunt. Perſpicuę autem coſtæ, plenæq;, ueluti tumentes, hominis prauis moribus præditi, ac loquacis naturam teſtantur.

DE VENTRE.

VEnter extenuatus, animi egritudinẽ in homine, & ipſum amicabilis naturæ eſſe denotat. Si uero in aliquo ualde inanem, macilentũmq; inſpexeris uẽtrem, pauidum, prauiſq; moribus pręditum, & uoracem dices. Venter delicatus, & carnulentus, ſiquidem mollis fuerit, ac prominulus, dementis, uinoſi, incontinentiſq; indicium iudicandum. In quocunque uenter dura carne compactus inſpicietur, prauam hominis naturam, ipſumq; uoracem interpretabere.

DE ILIIS.

ILia oſſoſa, ac ualida, uirilis, fortiſq; hominis naturæ ſignum eſt. Qui uero carnoſa, molliaq; ilia ſortiuntur, tales ad fœmineam naturam declinare iudicabis. Si ilia inacuminatam rediguntur formam, ad fœmineos mores, incontinentiamq; declinantem, ac pauiditatem hominis teſtantur. Scapulæ latę, fortem uirum, ac nobilis, ingenuique animi denotat: in forma uero ab hac diuerſa, diuerſa iudicabis.

DE PEDIBVS IN VNIVERSVM.

QVibuſcuq; genua, intus innuunt, effœminati ſunt, & ad fœminarum naturam declinant. Nates, craſſæ, effœminatæ naturę adſcribendæ. Nates oſſoſæ, in omnibus fortitudinis, roboriſque indicia ſunt. Exiles nates, quaſque modica caro circunſepiat, ſicut extenuatę uideantur, cum huiuſmodi nates, in ſimiarum genere cernere eſt, calidum, uafrũmq;, ac praui ingenii hominem arguunt. Tibię in homine moderatę magnitudinis, dearticulatę, generoſi animi, præclariq; ingenii, argumenta teſtantur. Molles uero, & male articula-

tæ, pauidi, eneruiſq; indicia ſunt. Tibiæ admodum exiles, pauidi hominis, ac prauam naturam indicant. Neruoſæ, plurimę incontinentię argumenta ſunt. Tibię plenæ, ac in medio craſſeſcentes, moroſum hominem, ac ad luxuriam propenſum iudices. In quibuſcunq; hominibus tybias, calcaneaq; craſſa inſpexeris, illud ſeruili naturę, ac indocili adſcribendum: de femoribus idem iudicium faciendum. Pedis maleoli, ſatis accurate diſpoſiti, ſolidiq;, generoſæ naturę indicia ſunt. Maleoli, infirmi admodum, imbellem hominem teſtãtur: Iidem uero plus nimio exiles, doloſi, incontinentiſq; naturã arguunt. Qui craſſos maleolos, mutiloſq; habuerint digitos, & calcaneos craſſos, & pedes carnoſos, tybiaſq; craſſas natura ſui habuerint, hi inſaniunt maiori ex parte, ac in extaſim rapiuntur, fanaticiq; ſunt. Pedes neruoſi, & bene articulati, generoſis moribus hominẽ, & fortem qualis Hercules fuerat, denotant. Molles uero, carnoſiq; pedes, conſimiles mores molles inquam, ſi & alia ſigna concurrant repreſentant. Pedes mutili, craſſiq;, ferini animis ſigna ſunt. At pedes plus nimio longi, multa molientem hominem, malorúmq; artificem arguunt. Breues uero, exileſq; pedes habentẽ, uafrum, doloſúmq; iudicato. Pedes conuexi, ac infra concaui, praui hominis ſigna ſunt. Similiter, & qui mollibus prȩditi ſunt, ſic ut talis affectio ad maleolos uſque procedat, aſtus, & uafricia huiuſmodi homini dominantur.

DE DIGITIS.

QVi digitos coaleſcentes habuerint, hos fœdos, turpeſq; ut porcos iudicabis. In quo uero contracti uiſuntur digiti, calidi hominis indicium illud, ac prauis moribus prȩditi putabis. Digiti plus nimio longi, exileſque, dementię, & fatuitati hominis adſcribendi ſunt. Cuicunque digiti craſſi, ac breues fuerint, temerariam illius naturam, improuidamq;, nec non ferinos in mores declinantem cenſeas. Valde uero parui ſubtilleſq; digiti, dementis naturæ, nugaciſq; ac remiſſi animi hominem teſtantur. Quicunque moderate magnitu-

dinis digitos, ac concinnæ formæ erunt sortiti, optimos in omni morum laudabilium genere perpetuo dixeris.

DE VNGVIBVS.

VNgues lati, albi, & subruffi, bonum in homine ingenium denotant. Angusti uero, & oblongi, curuiq; integros sensus minime habentem, nec non ferinos mores arguunt. Nimium uero obtorti, rapacis hominis naturæ adscribendi sunt. Breues admodum ungues, nigri, praui hominis indicium iudicato. Valde rotundi ungues, ualde incestuosum esse testantur. Prius quidem diximus, plurima esse de hominis partibus, quæ singillatim à quouis consyderare opus est: Quorum quidem, singula esse seorsum speculanda, præsertim ungues ipsos, necessarium ducimus.

FINIS POLEMONIS NATVRÆ signorum interpretationis, eodem Nicolao Petreio Interprete.

DEFINITIONES HVMANARVM effigierum eiusdem Polemonis Naturę Signorũ Interpretationis, per eundem Nicolaum Petreium.

DE EFFIGIE VIRILIS.



Orma virilis est, ut tota figura rectus sit, latera, atque uniuersos corporis articulos robustos, forteſq; habeat. Ossa magna, comam asperam: ventrem latum, atque concauum: humeros ualidos: scapulas, in latitudinem distentas: Pectore, atque ceruice ualidus sit: coxas duras: crura carnosa ostendat: et malleolis præ ualidus sit prædi

tus. Pedes bene articulatos habeat: colorem acrem: aciem humidam: oculos non magnos, neque patentes: neque rursus occlusos: supercilia non recto ordine disposita sint: frons perfecta, non autem modica sit: vox minax: vehemens, magnaq; spiritus reciprocatio constans Hæc nanque magnanimi, atque prȩualidi indicia habentur.

DE FIGVRA TIMIDI.

TImidum huiusmodi figura ostendit: Qui molles habuerit capillos: Corporis totius dispositionem remissam. Collum prælongum: colorem nigrum: siue pallidum: Oculis turbulentis sit: palpebras motabiles: spiritus uero reciprocationē imbecillem: crura subtillia: supercilia oblonga: pectus inualidum: manus prælongas ostentet: Vocem acutam, & mollem. hæc timidi signa sunt.

QVI BONO SVNT INGENIO præditi.

BOno ingenio præditum ex his indiciis agnosces: ut moderatæ magnitudinis sit: Candidus color rubicundo admixtus: qui nec crispos capillos, nec rectos habeat. Cui sit totum corpus erectū: membra corporis absoluta: Caro, ad mediocritatem tendat, mollisque sit: crura, ac inguina non admodum carnosa: Maleoli fortes: pedum, manuúmq; membra generosa: digitis simplices, moderatæ magnitudinis, inuicem distantes sint. Facies erecta, carnosaq;, non autem subtilis. Oculi humiduli, fulgidiq;, ac pulchri, qui indolem hilarem prȩ se ferre uideantur.

STVPIDI INDICIA.

HEbetem per hæc signa agnosces: qui albo admodum, uel admodum nigro colore fuerit prȩditus. Carnulentus, prominuli uentris: crassis cruribus. Si membra breuia, & ceu uinculis impedita habuerit. Humeros coherentis, collum breue: pingue, extremitates solutas: genas carnulentas: frontem orbiculatam: aciem, concretam, & biantem.

IMPVDENTIS SIGNA.

EX his indiciis impudentem agnoſces. Oculos utiq; motu concitato, ac fulgidos oſtendit. Supercilia extenſa, craſſaq; : pedes, præ pingues : naſum grandem habet. procaci intuitu : ſeſe in altum attollens: colore fuluo: Voce acuta.

MODESTI INDICIA.

MOdeſtus ex his ſignis agnoſcitur. Grauem is edit uocem, ac ſubmiſſam : palpebras ipſas, nec celeri, nec tardo motu concitat. Ruffus colore, oculis humidis, non autem fulgentibus, animo liberali corpore pleno.

IOCVNDI INDICIVM.

FRons in his depreſſa, leuiſque, ac carnoſa conſpicitur, & tota facies fronte carnoſior: figura uero ſomniculoſa : oculi humidi, ac prælucidi, quaſi qui proſpiciant. motus tardior: uox blanda.

TRISTANTIS INDICIA.

FAcies in triſtanti natura gracilis inſpicitur. frontem rugoſam oſtendit. Supercilia extenſa, quemadmodum quæ effœta ſunt aſſiduę motat.

SEMIVIRI INDICIA.

SEmiuir, oculos in voluptatem procliues, ac temerarios præ ſe fert : illoſq; agitat, atq; ipſis undiq; oberrat. Frontem ſubtrahit: ac genas motat, ſupercilia ei in ſuo ſitu tument. Collum intorquetur. Lumbos tremulos habet : omnia eius membra exilienti motu agitantur. Genua cum manibus ſtridula, ut taurus oſtendit. Circunſpicit ſeſe, ac infra aſpicit. Vox eius ſubtili ſono, atque ſtridulo fertur. quam tortuoſam admodum, ac tremefactam edit.

IMMITIS INDICIA.

IMmitis, facie minaci eſt : colore ſub pallidus : fortis, carnulentus : ſicco intuitu : rugoſa facie : ſermone truculento : protenſo, ac nigro capillo : cum debilitatur, manus collidit, atque conterit. Sæpe-

numero pedes proicit.

MANSVETI INDICIA.

FOrtis aspectu, carnis humidæ, ac multæ est, moderateq; magnitudinis, et figura moderatę proportionis in hoc uisitur. In mēbris mollem carnem habens, constantis intuitus. motus corporis moderatus, & uniformis : grauē uocem edit : eademq; blanda est : capillorū ambitus sursum uergens.

DISSIMVLATORIS ET CONtraria consulentis.

IN dissimulatore oculi imbecilles uisuntur. aspectu eleganti est : uocem submissam edit uersatili incessu utitur : ac semper sese concinno motu adaptat.

INDICIA AVARI HOMINIS.

HOminem pecunię studiosum, & auarū, ex his signis deprehēdes. Qui membris paruis, facie exigua, atque oculis modicis fuerit præditus. qui gressu concitato fertur. qui dorsi recurui est. celeri sermone, & acuta uoce utens. colore subruffo, dicax, ebriosa facie, densas comas, barbam protensam, labia densis obsita pilis, tempora densa, oculos supplices, nitentes, atq; undantes ostendit, comam nutriens, ac uino deditus. Fiunt etiā fatui improbi, quemadmodū feræ sunt, quę huiusmodi generis esse uisuntur. Nā animaliū, quędā cicura, quædam uero agrestia sunt. Horum aūt singula genera consyderare oportet. At qui, quædam cicurū, fatuitati magis obnoxia, turbulētioraq;, & pauida sunt, quod quidē in caprarū præsertim, atq; in pecudum genere uisitur. Ad hæc, & in equis, atque asinis, & quæ huiusmodi generis sunt. Sed quidem, quę cicurum generis, miciora, ac plus leuoris habentia sunt : Agrestia uero, ferociora, asperioraq;, nec nō impetuosiora : & horum ingenium, naturæ, qua prædita sunt, mores sequitur. Qua quidem distinctione, & in hominum specie uti opus est : nam, in hominibus item, duplex quædam natura dignoscitur : cum

ex ſingularibus quibuſdam ſignis nonnulli probitatem præ ſe ferre uiſuntur. Sed alii agreſtiores mores oſtendunt, alii uero, mitiores: qui & prudentia, & fortitudine prædití eſſe agnoſcuntur. Atqui, horũ ſignorum differentia in aſperitate, & duricia, ac humiditate, & molicia uiſitur: ex quibus, impudentiæ, & manſuetudinis, indicia eliciuntur. Humiditatem nanque, ac ſiccitatẽ, ſic diſtinguere oportet, ut in iniquitate, ac in incontinentia, atq; in huiuſmodi ſignis inſpiciantur. & manſuetum illud, atque agreſte animalia, coherens obtinent. Sic itaq; equitatem, manſuetiorem, iniquitatem uero, agreſliorẽ dixeris. & inter homines etiam, tam etſi huiuſmodi ſigna neutiquam perſpecta fiant, quidã agreſti ferocia præditi, nonnulli uero mites ſunt. Cætera enim ſigna uti diximus ſola diſtinguere opus eſt. Verum, quo fatuum improbum agnoſcere queas, hæc ſigna ſunt. Is capillos extenſos habet, caput rigidum, obliquũ, aures prægrandes, languidum collum, ac ceruicem, malleolos in pedibus rotundos. Frontem duram, & aſperam: oculos tenebricoſos, paruos, ſiccos, concauos: intente uiſum dirigentes: genas anguſtas, oblongaſq;, mentũ longum. Ore loquaci, & ſoluto eſt, patenti, quaſi bifido: facie oblonga, quaſi corrupta. Incuruus, uentricoſus, craſſis cruribus, manuum, pedúmq; articulis oblongis, aſperiſque. Colore ſub uiridus, ſic ut à ſomno, uel crapula excitatus uideatur. Vocẽ ballantem, turpem, exiguam, inſolentem edit.

ANIMOSI INDICIA.

Corporis figura huic recta, huic bona latera ſunt. Concinnitas membrorum, ſubruffus color: humeri diſtantes: magni, & fortes. partes pectoris, & inguina leuore prædita, denſa barba, ſcapulæ latæ, multa capillatura, infra inſpiciens. tum quibuſcunque cutis circa caput recte circũſtet. qui rotunda ſunt facie, ac ſuperciliis arcuatis: narium concauitas.

CONVICIATORIS SEV PROterui Indicia.

COnuiciator, superius labium sublime, inferius uero exertum continet: quod ad canum genus referri queas, idq; in senescentibus equis cernere est. Subfului, hi coloris triticei sunt.

GARRVLI INDICIA.

QVi superiores corporis partes inferioribus maiores optinent. iucundo aspectu est, ad uentris situm pilis refertus.

SOMNOLENTI SIGNA.

QVi superiora corporis, quam inferiora maiora habent, & somniculosi uidentur, ac calidi sunt, nec non uigenti carne prediti.

LIBIDINOSI INDICIA.

LIbidinosus, & luxurię deditus, colore albus, pilos circa labia densos optinet. recto, ac crasso capillo. oculos supplices, & fatuos habens: crura subtilia, atque neruosa: & totus auicii generis: hirsutis cruribus: ventre & oculis pinguibus: qui barbam ad nasum retrahit. Qui item superficiem loci illius concauam habet, quę naso, ac mento interiacet: qualem habuisse insignem Socratem constat. Tum & qui humidis oculis fuerit pręditus, tales inter lasciuos adnumerandi sunt. tum qui uenam in brachio perspicuam habent, exilibúsque sunt tybiis prædití.

INVIDENTIS SIGNA.

QVi sinistras partes dextris maiores habuerint, & quibus supercilia ad genas demittuntur, inuidi existimandi sunt.

INIVRII INDICIA.

QVibus vertebrum, siue nodus ad colli confinia extra prominet, hi iniurii homines sunt: id ad apros referri queas. Cui uero inferius labiũ, superiori præemineat, fatui, suspenso, & ambiguo iudicio: imbecilles: flagitiosi, ad asinorum naturam referri queas.

PAVIDI SIGNA.

QVi nasum ualde latum habuerint, hi quidem pauidi sunt: hoc ad caprarum genus refertur.

INERTIS INDICIA.

QVi naso perexiguo fuerint pręditi: hos inertes iudicato. Talis enim signi ex bobus exemplũ capies, sed et ex auibus quæ lato sunt rostro.

Qui recto sunt naso præditi, procacis linguę sunt, quod ad fœminarũ genus, & ob diuitias insolentes referri potest.

Qui breui naso, ac simo sunt præditi, fures, & lasciuos iudicato: ad ceruos, & apros hoc genus hominum refertur.

Quibus nasi promuscis expansa, ac sima fuerit: iracundi censendi sunt: hoc ad eorum aspectum referas, quos ira correptos cernere plerunq; accidit: sed hoc idem in generosis equis intueri licet.

Qui carnulentam habent faciem, inertiæ obnoxii sunt. hæc passio fœminarum generi, & bobus peculiaris, & propria.

Qui faciem ualde ossosam habuerint, laboriosos, & pauidos: ac frigidæ naturę: hoc ad asinos, simias, & ceruos retuleris.

Qui perexigua facie sunt, improbos recte dixeris: & sceleribus infectos: hoc præsertim ad simiarum naturam refertur.

Quos abiecta facie, atque illiberali cernes, hi pusillanimes, & seruilis animi censendi sunt.

In quibus labia magna uisuntur, improbos dixeris: quibus superius, labium inferiore maius fuerit: timidos censebis: qui uero econtra, inferius superiore maius habuerint, hi stolidi sunt. at quibus inferius labium ad caninos dentes intumuerit, veneno pleni habentur. Quibus vero ad anteriores seccantes dẽtes labia intumuerint, ad Cinedorum uitium declinant.

DE OBNOXIIS AMORIBVS.

OCuli concaui, nec lachrimosi, lucentes, ita ut voluptate repleti uideantur, si ille & palpebras assidue motat, & partes corporis conueniant, amoribus obnoxii sunt. fornicatio nanque tum maioris, tum fœminæ, in sublimibus corporis partibus, in superciliis,

inquam, & in oculis deprehenditur. Hæc autem uniuerſa quę diximus, quaſi in pictura quapiam, tametſi ſoli colores, ſoleque imagines effigiatę ſint, deprehendentur. Plurima enim in omnibus mortalium ſpeciebus, ex pluribus ſignis conſyderantes, inſpicient. in miſtionibus uero eorum, aliud, aliter contemplando, uera perſuaſi ratione, uerißimam horum iudiciorum artem inuenient. Effœminati, impudici, impuri exiſtimādi, qui tibias qua ad malleolos deſcenditur craſſas habuerint. Tum, qui pedum digitos parum fiſſos, ut auium quæ anguſtos pedes ſortitæ ſunt, & concauos ad ſcaphę modum, uel capitis caluę continent. tales putabis.

DE EVNVCHIS.

IN Eunuchis, ex naturali nequicia, quemadmodum & in aliis hominibus, à natura eſſe indicia ſolent. At qui, illi maiori ex parte immiti ſunt ingenio: doloſi, facinoroſi, alii quidem ex ipſis aliis ſe in ſceleribus exercentes. Qui uero, in honore eſt conſtitutus eunuchus, in hoc tantummodo permutatur, quia cum temeritate uim infert, plus etiam quam eius natura exigat. & ut ille, qui natura impotens eſt, in illo propoſito perſiſtit.

DE PALLVSTRIBVS.

QVi ut palluſtria, anguſtis pedibus ſunt, fatuos, ac pauidos, cenſebis. Qui uero ſub pede concauo carent, ſed plana planta incedunt, uerſuti exiſtimandi ſunt: qualis de vulpe haberi ratio ſolet. Verum, qui breuibus, & craſſis tum manuum, tum pedum digitis fuerint prędıti, hos ſtolidos dicas: à quo quidem vitio exemptos dicimus, ſi corpus neq; paruum, neq; obeſum habuerint. Sed profectio ita de his cenſemus, qui coherentis habuerint digitos: timidi nanq;, ut canum genus ſunt.

FINIS.

Eodem N. P. Interpr.

HIPPOCRATIS DE HOMINIS *Structura Opus.*

Ad Perdicam Macedonum Regem.



Vndus, quatuor ex elementis cōſiſtit: igne: aere: terra: & aqua: calido videlicet, humido: frigido, & ſicco. Iiſdem ex elementis quatuor, totidemq; humoribus, & homo conſiſtit: ſanguine ſcilicet, pituita: flaua, & atra bili. Et ſanguis quidem aeri, pituita aquæ, flaua autem bilis igni, atra uero terræ ſimilatur. Sanguis enim, guſtu dulcis eſt: pituita, ſalſa: flaua bilis amara: atra uero acetoſa, & flaueſcens. Sanguinis autem locus, & ſpiritus in corde eſt: A dextris quidem eius ſanguis, à ſiniſtris uero ſpiritus conſiſtit. Flauæ bilis in iecinore: atræ in liene: pituitæ quidem in cerebro locus. Sanguis autem calidus, & humidus, pituita frigida, & humida: flaua bilis calida, & ſicca: atra uero ſicca, & frigida. Arteriæ quidem à corde purum ſanguinem, & ſpiritum recipiunt. Venæ autem & ipſæ à corde ſanguinem ſumunt, per quas corpori diſtribuitur. Sed iecur cordi ſanguinem non præter ueri fidem affatim ſuppeditat. Nam ignis abſque materia permanere neutiquam poteſt: quo fit, ut nonnulli hominum ſemper quaſi rideant, quidam uero triſtētur, huius rei ex elementis cauſam eſſe dicimus. Qui enim puri ſanguinis non in expertes ſunt, hi uſquequaque rident, & aſpectu, ac corpore floridi, nec non perſpicui coloris exiſtunt. Qui uero flauæ bilis participes ſunt, deſides, puſillanimes, pauidi, imbecilleſq; eſſe ſolent. Pituitoſi uero, inertes, & frigidi ſunt. Reminiſci autem, & eſſe prudentia præditum, ex cerebro, inter calidum, frigidúmq; admodum temperato

prouenit. Obliuio uero, ex cerebri frigiditate procedit. Paſſio autem quæ frænesis nuncupatur, ex perurrentibus febribus fit. Vaporibus enim, ex uiſceribus per dorſum ad crebrum emiſſis, eius humidum areſcit, & homo mente captus, efficitur: & cerebrum oleo quocunque frigidæ qualitatis per aures, uomitúſque, humectare oportet. Lethargus uero & ipſe cerebri paſſio eſt, cum enim cerebrum frigidis humoribus repletum fuerit, tunc paſſio quę lethargus appellatur hominem occupat: & calefacientibus cerebro opitulari expedit. Paraliſis uero fit à frigido, crudoq; humore qui à cerebro demiſſus in oculum, ſiue in aliquam labiorum partem, ſeu in totam, dimidiam'ue faciem deſcendit: per nares cerebrum purgantia adhibere oportet: & extrinſecus iſobrium contuſum (herba eſt, quæ & Maros, & origanis dicitur) ignis ſuffitu, ſeu cauteriis per aures applices. Quæcunque autem paſſiones in capite fiunt, ex ſtomacho oriuntur, exempli cauſa: vomicæ: ſtrumæ: dentium dolores: tonſillę: vuigena: ſuffocationes: anhelitus difficultas, & reliqua. Caput autem ſuturas habet tres: inuenitur & ſolidum abſque ſuturis caput, & hoc quidem humidum eſt. Criſpos uero capillos habere, calidioris capitis ſignum eſt. At recti crines, ex ſuperuacuo qui in capite eſt humore fiunt. Flauendo capillorum, ex flaua bile, caluicies uero ex caliditate prouenit. Articulatæ uocis ſpecies, tres habentur. Grauis, acuta, & media: hęc à ſpiritu procedunt. Iecur autem, ipſum alimentum triplici digeſtione in ſuccum redigit. Ex prima digeſtione, cor alimenti qualitatem, ſaporem videlicet ſuſcipit, & puri ſanguinis procreatio fit. Secundam digeſtionem iecur deſumit, & corporis partibus alimentum largitur: vnde flauæ bilis conſtitutio fit, lien uero, ex ſanguinis fece alitur: vnde & melancholicum humorem conſtitui certum eſt. Cerebrum autem à ſtomacho humectatur, & pituitæ exuberantiam peragit. Tertia digeſtione alimentum ſuperne in ſtomacho in ſuccum uertitur: & tunc reſeratur ianitor qui ventriculus

nuncupatur, quoniam transitus tantum facultatem subministrat. Inde alimentum, in inferiorem uentrem demittitur. Aluus uero, à pituita ciborum acerbitatis gratia, oblectamentum sentit. Humidum autem excrementum, per renes, ac seiunctos ipsius excrementi meatus in vesicam, idest in phuscam descendit: in vesicam enim aqua ingreditur. Sensus in homine quinque habentur, visus: olfatus: auditus: gustus: & tactus. Nam, visus ex æthere: olfatus, ex aere: auditus, ex igne: gustus, ex humido: tactus uero ex terra fit. Homo autem, ex quatuordecim quibusdam consistit. Neruis: venis: arteriis: sanguine: spiritu: carne: adipe: chartilagine: vnguibus: ossibus: medullis: capillis: membranis: humoribus. Horum autem excretiones, maribus quidem sicco, & humido excremento: vomitibus: oculis: naribus: sputis: sudoribus: venereis: incertis meatibus: capillis: et vnguibus fiunt: fœminis uero ad hæc duo adduntur, purgationes, lactis uidelicet, & menstruorum. Lac autem, & eodem modo genitale semen hominis ex sanguine gignuntur. & hoc certum est: si enim homo genitali plus nimio utetur, sanguinem pro semine emittet. Similiter autem & fœminæ, si plus nimio lactare cogentur, sanguis ellicitur. Spina autem hominis habet vertebras xxiiii. costas totidem. Dentes cum maxillaribus: duo supra triginta sunt, anteriores autem diuidentes, qui & seccantes appellantur. Stomachus, palmos habet quinque. Intestina cubitos tresdecim. Nomina digitorum, Polex. Index. Medius. Annularis. Auricularis. Vngues, frigidi, sicciq; temperamenti sunt. Anni uero tempora quatuor habentur, uer, æstas, autumnus, & hyemns. Ver, calidum, & humidum est: ideo, sanguinis in corpore incrementum fit. Aestas, calida, & sicca, ideo flauã auget bilem. Autumnus siccus, & frigidus, ideo atram bilem, & saniem auget. Sanies quidem, sanguinea, & aquosa est. Hyems uero, pituitam in corpore adauget. Nam quatuor hominis elementa, idest humores, ad tempora quatuor diuiduntur. Ideo, solarẽ conuersionem

ſpeculari, & affecti temperamentum: & ad hæc curationibus uti opus eſt. Si enim verno tempore iuuenis aduerſa premetur ualitudine, ſanguinis exuperantiæ cauſa patitur: quem per venæ ſectionem emittere opus eſt. Et ſi pleureſi unius diei ſpatio, uel duorum, ſeu trium laborauerit, venæ ſectionę affecto opitulandum, priuſquam ipſum oprimat paſſio, & affecti vires deficiant. Homini vero venæ ſectio perutilis eſt, & tempus quidem quo ipſa utendum à Februario incipit: & rurſus à Septembri principium ſumendo, ad ſeptimam eiuſdem perduret. A eſtate aliquo ęgrotante, ad paſſionis initia purgamina adhibenda. Si conſyderantes (ô Rex) & aliorum curam agentes, quid ad uitæ rationem corporibus præſtet, & quod congrue alimenta ſuggerat, ac debito apponat ordini non ſatis pro diligentia noſtra, & qui humana aggrediuntur corpora morbos deprehenderimus, nunc accuratius perſpicientes, ſumatimq; deſcribentes, medicinalem ſphęram ad te mittimus, per quam ægritudines quę humana corpora occupare ſolent, pernoſcere, & ad pręſentem horam, ac decurrentis anni tempora, huiuſmodi calamitatibus opitulari queas. Si autem hęc accuratius egeris, diu citra omnem aduerſam ualitudinē per omne tempus uita frueris. Et ſi hæc quę potiſſimum optimę valitudini tuæ uim prębeant, quæq; hominum generi conducant peregeris, ita, in omnibus te incolumem uitam elegiſſe deprehendes. Et quamuis ardua admodum ſphęræ ratio habeatur, eam tamen perſcriptam tibi prebemus. A Vergiliarū occaſu, ad hyemale ſolſtitium, dies IL hoc eſt à XII Nouembris, ad Decembris finem ſunt. Hi quidem dies pituitam augent, balneis autem ieiunus ſudores excitando, detergendoq;, et Venereis, ac laboribus uteris. Ab hyemale ſolſtitio, ad vernale æquinoctium, dies LXXXIIII à prima videlicet Iauuarii, ad quintam ſupra XX Martii. hi dies humiditatum, & ſanguinis exuberantiā peragunt, deambulationibus, & ſiccis quę ad uictum pertinent, deliciiſq;, ac Venereis, beneq; alentibus utendum. A vernali æquino-

ctio, ad Vergiliarum ortum, dies IL à XXV Martii, ad XIII Maii, hi dies sanguinem augent, redolenti uino, & Venereis, ac laboribus vteris. A Vergiliarum autem ex ortu, ad æstiuum solstitium, dies, XXXXII à tertiadecima Maii, ad XXIIII Iunii. hi enim dies flauæ bilis augendę facultatem optinent, dulcibus, & aquosis utendum, ducendæ alui cura agenda, & à Venereis, ac laboribus abstinendum est. Ab æstiuo uero solstitio, ad æquinoctiū autumnale, dies XCIII ab XXIIII Iunii, ad XXIIIII. Septembris. hi dies atram bilem augent, frigidis, & aquosis, redolenti uino, ac salitis uti opus est, à Venereis uero abstinendum censemus. Ab autumnali æquinoctio, ad Vergiliarum occasum, dies IIL à XXV Septembris, ad XII Nouembris, hi enim dies saniem augent, acetosis, acerbisq;, & Venereis, ac laboribus uti expediet. Si ad hæc obseruanda, curam ò Rex impenderis, citra omnem tristitiam, doloremq; in reliquū uita frueris. Hac se diuisione sic habente, annus in dies quinq;, ac sexaginta, supra trecentos colligitur.

DIOCLIS EPISTOLA
Ad Antigonum Regem De Sanitate tuenda.



Væ, ò Rex valetudini studentes, eiusq; curam agentes, & corpori tuo quod optimum sit prouidentes, merito nos tibi quæ humano corpori eueniant accuratissime proponere, & quę singulis astris, anniq; temporibus, momentisq; subiungere, summatimq; perscribere proposuimus, unde futura prænoscere, & uitæ rationem habere queas, uti sic agendo omne tempus fortiter peragas. Bonę igitur ualitudinis uim, quęq; humano generi conducant, per quam accuratissime scire decet. Primū autem de circulari, ac mundi, nec non solstitiali sphęra, nostra oratio erit.

erit. A Vergiliarum occaſu, ad ſolſtitium hyemale, dies IL hoc eſt à duodecima Nouembris, ad Decembris perfectionem numerantur. Hi enim dies, mirum immodum pituitam augent, quamobrem, balneis, ſiccisq; alimentis, ac Venereis utendum. A ſolſtio uero hyemali, ad Vernale æquinoctium, dies LXXXIIII, A prima videlicet Ianuarii, ad quintã ſupra vigeſimam Martii, hi enim dies humorum copiam, nauſearúmq; exuberãtiam peragunt: quapropter, deambulationibus, vomitibuſq;, & balneis aſſiduis, ac alentibus cibis, & venereis uteris. A uernali autem æquinoctio, ad Vergiliarum ortum, dies IL à vigeſima uidelicet quinta Martii, ad tertiam decimam Maii, hi enim dies vernales habentur, in his plurimum ſanguinis incrementum fit, cuius gratia, bene redolenti uino, non diluto, & calido, aſſiduiſq; uomitibus, nec non laboribus, ac venereis uti cõducet. A vergiliarũ uero ortu, ad æſtiuũ ſolſtitiũ, dies XXXXII à tertiadecima uidelicet Maii, ad uigeſimam quartam Iunii. Hi quidem dies æſtiui ſolſtitii ſunt: augent autem flauam bilem. quam obrem, dulcibus, & aquoſis, aluúmq; ducentibus utendum cenſemus, à laboribus, defatigationibuſq;, & venereis abſtineas. A ſolſtitio autem æſtiuo, ad autumnale æquinoctium, dies XCIII, à uigeſima quarta Iunii, ad quintam ſupra uigeſimam Septembris, hi quidem dies atram gignunt bilem, quamobrem, frigidis, & aquoſis, uinoq; redolenti uteris, & neque labores, neque venerea exercere oportebit. Ab autumnali æquinoctio, ad vergiliarum occaſum, dies IIL à uigeſima quinta uidelicet Septembris, ad duodecimam Nouembris, hi enim dies ſaniem, & biles augent, ciborum qui aceto condiuntur, & qui acerbi ſunt uſum neceſſarium cenſemus: labores item, defatigationeſq;, ac venerea neutiquam declines. Hominem autem quadrifariam diuidimus, in caput: pectus: aluum: & ueſicam. Si igitur ad capitis partes paſſio aliqua uentura ſit, hæc quidem indicia pręcedunt. Opagines: capitis dolores: in ſuperciliis grauedines: pulſus circum

tempora: lachrymæ in oculis: uiſus obtuſitas: obturationes nariū: auriū tinnitus. His autē apparentibus indiciis, caput purgare haud ullo quidem medicaminis genere neceſſe eſt: ſed hyſopi, & origani radices capias, & defruti acetabulo addito decoquas: & hoc liquamine gargariſmo ieiunus caput perpurges. Hæc autem indicia negligentibus, hi affectus oriuntur. Oculorum glaucedo: opilationes cerebri: ſtrumæ: ſyderationes: caluicies: capitis ulceratio: dentium dolores. Cum autem his quę pectoris ſunt partibus paſſio aliqua futura ſit, hæc quidē indicia eueniunt, pectoris, & thoracis ſudores, linguæ aſperitas, ſputa ſalſa, ſeu amara, coſtarum, & ſcapularum dolores nulla occaſione præcedente, pectoris, ac brachiorum pruritus: manuum tremores, tuſſes ſiccæ. His ita euenientibus indiciis, hoc pacto ſubueniendum opinamur. Vomitus enim qui à ſumpto cibo, quiq; ob repletionem quouis medicamine adhibito fieri ſolent perutiles habentur. Eodem pacto potionis purgamina, quę ſyrmatiſmos nuncupant, ieiunus ſumito. (Sunt enim ſyrmatiſmi decocta cum zea) quę ita parantur. Seminis raphanorum: cardami: ſinapis: erucæ: ſingulorum cochleare capito, illudq; contundito, dehinc cum aqua bibito. & ſic euomas. Hæc autem indicia deſpicientes, his affectionibus obnoxii redduntur: pleureſi: pulmonis exulcerationi: morbis renum, inſaniæ cū febribus acutis, lethargo, & fumoſis emiſſionibus. Cum uero partibus quę alui ſunt aliqua affectio paratur, hæc quidem indicia oriuntur, alui ipſius uertigo, in ipſaq; deſumptus cibus turbatur: quod potu ſumitur, amarum uidetur: genuum, totiuſq; corporis grauedines: torpedines cruriū: febres immenſæ apparent. Cum uero hæc indicia perſpecta redduntur, aluum nullis medicaminibus adhibitis, mollibus autem purgare oportet. Lapatium, & mercurialem, cum garo, & oleo comedas: & betam cum melicrato, & melitomate. (id decoctio eſt herbarum cum melle) quę mouendę alui admodum conducunt. Si autem quippiam præter ea quę attulimus indicia moleſtiam intulerit, his quæ adduxi-

mus & cnicum herbam (quę & pręsepium: & fusus agrestis, & clonucha rustica appellatur) adhibeas: quam frustatim contusam, & in succum redigas, illumq; cum aqua bibito. bibito item brassicarum aquã ieiunus cum plurimo melle decoctam. Qui autem hæc indicia aspernãtur, hæ quidem ipsis passiones accidunt. Alui profluuium: disenteriæ: coxendicum ægritudo, quam sciaticam uocant: langores mentis, & corporis stupor: ventrisq; tormina, ut si diceres vermes, & stomachi impedimenta: ac his similia. Cum autem ad vesicam aliqua passio paratur, hæc indicia manifesta fiunt. Cibo enim immisso repletur stomachus: ventositates: eructationesq;, ac tumores ad pudenda eueniunt. Cum hæc indicia deprehendentur, hoc pacto opitulari expedit. Feniculi, & Apii cuiuslibet manipulum sumito, quos in redolẽti uino ad unum diem madefacto, inde ex eo cyathos duos, totidemq; aquæ fontis admixtos ieiunus bibito. Hæc autem signa paruipendentes, in huiusmodi incommoda incurrunt. Morbus intercutaneus: dolores iecinoris: lienis tumores: dementiæ: mingendi difficultates: alui combustiones: vertigines: & dolores grauissimi eos inuadere solent.

FINIS.

HORVM SYDERVM DECVRSVS
nostra tempestate supputatus.

A Vergiliarum occasu, ad solstitium hyemale, à XII Nouembris, ad XII Decembris. Dies XXX.

Ab hyemali solstitio, ad æquinoctium vernale, à XII Decembris, ad X Martii. Dies LXXXVIII

A vernali æquinoctio, ad Vergiliarum ortum, à X Martii, ad XXV Aprilis. Dies XXXXVI

A Vergiliarum ortu, ad æstiuum solstitium, hoc est à XXV Aprilis, ad XII Iunii. Dies XXXXVIII

A solstitio æstiuo, ad æquinoctium autumnale, à XII Iunii, ad XIII Septembris. Dies XCIII

Ab æquinoctio autumnali, ad Vergiliarum occasum, à XIII Septembris, ad XII Nouemb. Dies LX.

CCC.LXV.

DE NÆVIS CORPORIS Melampi.



SI mas in fronte næuum continebit, plurima bona poſſeſſurum indicat. In fœminæ uero fronte poſitus, regnaturam, uel magnę poteſtatis futuram denotat.

Si in mare extra ſupercilia cõſtiterit, probam ſibi uxorem, ſpecioſamq; copulabit. Si uero in fœmina ibidem conſpicietur, viro diuiti, ac formoſo iungetur. Cuiuſcunque maris Næuus in ſuperciliis fuerit, à coniuge ducenda penitus abſtineat: quinque enim uxores talem habiturum ſignificat: ſed & de fœmina idem rationis eſſe cenſendum.

Si idem in maris naſo rutilus uiſitur, cum talem etiam in abditis habeat, ad Venerea plus nimio propenſus ferretur.

In naſo uero fœminæ, ſiue in oculo conſpectus: quod & ipſa illum in ſecretiori parte corporis continet, ei quod de mare dictum eſt idem eueniet.

Si tale ſignum in naſi maris ex obliquo conſtiterit, per Vrbes hinc inde uagaturum ipſum demonſtrat.

In fœmina ibidem poſitus, eam diuerſa à pedibus paſſuram indicium eſt: quoniam & in abditis nęuum habet.

In gula næuum mas obtinens, diues euadet. Ad fœmina ſi illo in inferiori maxilla prędita fuerit, dies affecta producet, eo quod illum qua uenter deſinit habet.

Cuius autem maris in lingua poſitus erit, ſe diuitem, formoſamque coniugem ducturum ſciat.

In labiis, tam maris, quam fœminę conſpectus, gulones, uoraceſque deſignat.

Qui eum in mento mas habebit, diues auri, argentique efficietur. Idem & de fœmina eo quod ipſum ad lienis partem continet putares.

Si in aure maris apparebit, diues, ac celeberrimus fiet: eadem & fœmina quod eo in femore signata fuerit sortietur.

In collo maris positus, ditissimum futurum indicat: & fœminam etiã eadem fortuna sequetur.

Tale signum in maris ceruice penè existens, illum decollandum fore præ se fert.

Si tam maris, quam fœminę lumbis adherebit, uterq; inopia, ac generis infœlicitate premetur.

Cum in maris humeris nœuulus cernitur, vincula, & angustias sustinebit.

Tale in maris, seu fœminæ gula signum, alterum diuitem, ac formosum vxorem habiturum, alteram uero eiusdem fortunæ virum prænunciat.

In manibus utriusque situm obtinens, fœcundos in sobole procreanda denotat.

Cum eum in pectore uterque gestat, paupertatis obnoxios fore putandum.

Si superne qua cordis situs in mare conspicitur, talem facinorosum recte diceres: Idem & de fœmina iudicium in cuius ex ea parte papilla nęuum intuebere faciundum sit.

In aluo tam maris, quam fœminę consistens, uoracem utrunque, gulonemq; designat.

Cum næuus in utroque qua lienis locus est fuerit, affecti, ac ualetudinarii uitam peragent.

Si sub aluo in utroque signatur, eosdem valetudinarios fore contenderes.

In quibusuis maris, uel fœminę abditis adhibitus cernetur, tales coitu utentur inexplebili.

Si marem, uel fœminam in genitalibus membris nęuum habentes uideris, ille mares, fœmina uero ab eo diuersum sexum progenerabit.

Tale ſignum in inguine in utroque ſexu, diuitiarum exuberantiam denotat.
Si in genibus mas illum obtinebit, talis coniugem diuitem ſortietur.
In fœminę dextro genu ſignum huiuſmodi probitatis: in leuo uero liberorum fœcunditatis indicium interpretareris.
Qui næuum mas in pedis talo geſtitat, uxori ueſtium uſum: fœmina uero uiri poteſtatem intercipiet.
In pedibus utriuſque conſpectus: liberorum plurimæ in ipſis fœcunditatis ſignum eſt.
Sciendum hoc itaque ſit: hæc, tum mas, tum fœmina à dextera corporis parte ſigna continentes: diuites, probiq; : à leua uero calamitatibus obnoxii, & pauperes omnino reddentur.

FINIS.
Eodem N. P. Interpr.

VENETIIS ex officina Gryphii, ſumptibus uero Franciſci Camotii & ſociorum.
Anno M D LII.

INDEX SINGVLORVM NOMINVM QVÆ IN hoc opere continentur per literarum ordinem.

FINIS.

INDEX POLEMONIS NATVRÆ
Signorum Interpretationis.

FINIS.

VENETIIS ex officina Gryphij, sumptibus
uero Francisci Camotij & sociorum.
Anno M D L I I.

ERRORES IMPRESSORVM
Totius Operis.

In Præfatione,in quarta ſemipagina,uer.ultimo, fruſtu pro fructu. In eodem Præfatione ſexta ſemipagina,uer.primo,erga,pro erga me. In prima ſemipagina uerſu à principio quarto, abducere,pro adducere. In quarta ſemipagina uerſu. 11. ſpine pro ſpina.pagina.7.uerſu.16.cuiuſdem,pro cuiuſdã. pagina.13.uer.11. præditus, pro præditum. pagina.17.uer.22.conſtarum,pro coſtarum. pagina.18.uer.11. cognitionem,pro cognationem. pagina.22.uer.9.qui pro quæ.pagina.23.uer.18.quadã, pro quidam. pagina.24.uer.23.qua,pro quam. pagina.25.uer.15. perſpectu,pro perſpectum. pagina.32.uer.11.quod,pro quot. pagina.33.uerſu primo,erum, pro eorum. pagina.41.uer.24.quod,pro quot. pagina.43.uer.25. parſpicua,pro perſpicua. pagina.48.uer.7.cupulat,pro copulat. pagina.49.uer.15.tabula, pro calua, eadem pag.uer. 24.leui,pro leue.eadem pag.uer.27.μεύνειν,pro μένειν.pagina 54.uer.4.paruum,pro prauum. pagina.57.uer.12.conſtituenda, pro coſtituendæ. pagina.66.uer.21.uerum,pro rerum. pagina.78.uer.27. numero ſupra, pro numero duo ſupra. pagina.89.uer.12.ψχύω,pro ψαύω. pagina.92.uer.5.puris,pro puri. pagina.95.uer.11.prius,pro pius. pag.eadem.uer.13. quoſdam, pro quondam, pag.eadem,uer.28.penetrabilibus,pro penetralibus. pagina.108.uer.9.eum, pro enim. pag.110. uer.17. hæc,pro hac. pagina.114. uerſu.19. deeſt. reſpicerem. pagina.119.uer.21.de reliquis,pro reliquis. pagina.130.uer.12.additi,pro abditi. pagi.eadem, uer.22. οἷον δέελκες,pro οἷον θέελκες. pagina.134.uer.18. depurandis,pro depurandi. eadem pag.uer.29.geminos,pro gemino. pagina.150. uer.16.extremus,pro extremis. pagina.152.uer.11.hominem,pro homine.pagina 141.uer.11.continet,pro continent. pagina.149.uer.29.natura,pro naturæ. pagina.168.uer.3.uirile,pro uir ille. pagina,171.uer.16.animis,pro animi. pagina 173.uer.20.digitis, pro digiti.pagina.178.uer.30. maioris, pro maris. pagina 179.uer.25.profectio,pro profecto. pagina.181.uer.3.crebrum, pro cerebrum, pagina.189.uer.22.ad, pro at.